libet eſt de eſſentiali conceptu libertatis ut ſic, ad creatam, & increatam abſque ulla imperfectione admixta; Et hoc eſt, quod prægnantibus verbis docet Scot. 1. d. 39. lit. E. cum inquit quod libertatem noſtræ voluntatis ad oppoſita objecta concomitatur duplex potentia ad oppoſita (non quidem ad oppoſita ſimul, quia hoc evidenter repugnat) una manifeſta, & eſt potentia ad velle poſt non velle, ſive ad ſucceſſionem oppoſitorum actuum pro diverſis inſtantibus; alia verò non eſt ita manifeſta ad oppoſita pro eodem inſtanti, non quidem conjunctim, ſed diſiunctim abſque omni ſucceſſione, quatenus in eodem inſtanti, quo vult aliquod objectum, eſt etiam indifferens activè ad oppoſitum, quia etiam in eo, quo operatur, inſtanti non operatur ut determinata ad unum alioquin eſſet naturalis cauſa; non libera, & indifferens ad agendum, & non agendum, & in hac indifferentia activa conſiſtit conceptus eſſentialis libertatis, ut communis eſt creatæ, & increatæ; potentia enim illa prior ad oppoſita ſucceſſivè convenit voluntati noſtræ, quatenus creata eſt, ac finita.

211 Tertiò obiicit Lichetus 2. d. 1. q. 1. *§. primæ ergo* Doctor 1. d. 39. dicit, quod ſicut voluntas divina contingenter vult Franciſcum v. g. fore, ita ſtat ſemper in tali contingentia; nam in eodem inſtanti, quo dicit actum, poteſt non elicere, quia ſemper voluntas divina etiam quando actum elicit, intelligitur prior ipſo actu; & quia ſemper elicit, ideò ſemper intelligitur ſic prior; quod poteſt non elicere, & ſi ſic, videtur, quod poſſit velle oppoſitum, & ſi ponatur in eſſe, quod velit oppoſitum, tunc ſequitur, quod velle poſſit de novo. Tùm. 1. quia Scot. 1. d. 40. & communiter concedunt Doctores, quod prædeſtinatus poteſt damnari in ſenſu diviſo, cuius ſenſus eſt, quod ille, qui nunc eſt predeſtinatus, poteſt damnari cras à Deo per oppoſitam volitionem. Tùm 3. nam Doctor 1. d. 44. & 2. d. 7. ait quod Deum facere aliquid de potentia abſoluta eſt facere contrà legem prius determinatam; hoc autem fieri nequit niſi volendo in tempore oppoſitum eius, quod ſtatuerat ab æterno. Tùm 4. ſi Deus non poſſet in tempore oppoſitum eius facere, quod ab eterno ſtatuerat; ergo non poterit modo facere, quod Antichriſtus non ſit, licet ab æterno id potuiſſet facere, quod videtur inconveniens.

212 Reſp. ſolutionem dubij conſiſtere in recta intelligentia illius propoſitionis, *voluntas divina eodem inſtanti, quo elicit actum, poteſt non elicere*, vel enim facit ſenſum compoſitum cum duobus oppoſitis, itaut facta ſuppoſitione, & veritate unius oppoſiti, & in illo ſtante aliud oppoſitum ſimul verificetur, & in hoc ſenſu falſa eſt, quia ut ait Doctor citat. explicans illam potentiam manifeſtam voluntatis ad oppoſita pro eodem inſtanti; non eſt poſſibilis potentia ad duo contradictoria ſimul, vel facit compoſitionem unius oppoſiti ſolum cum poteſtate ad faciendum alterum, & in hoc ſenſu vera eſt illa propoſitio in ordine ad idem inſtans; cum autem hinc infertur, ponatur in eſſe (quod velit oppoſitum) tunc ſequitur, quod velle poſſit de novo; negatur conſequentia, tunc enim non amplius conſideratur divina voluntas in eodem inſtanti in ordine ad oppoſita diſiunctim, ſed ad oppoſita ſucceſſivè pro diverſis inſtantibus itaut velit unum oppoſitorum poſt volitionem alterius, quam potentiam negat expreſsè Doctor in voluntate divina, quia hęc dicit imperfectionem. Ad. 2. ſenſus illius propoſitionis *prædeſtinatus poteſt damnari in ſenſu diviſo* optimè declaratur à Doctore loc. cit. 1. d. 40. tam realiter, quam logicè juxtà doctrinam, quam de libertate divinæ voluntatis tradiderat 1. d. 39. ait itaque quod Deus contingenter prædeſtinat illum, quem prædeſtinat, & poteſt non prædeſtinare non ſimul ambo oppoſita, nec ſucceſſivè, ſed utrumque diviſim in inſtanti æternitatis, quantum autem ad Logicam propoſitio propoſita diſtinguenda eſt ſecundum compoſitionem, & diviſionem, & in ſenſu diviſionis ſunt duæ categoricæ, & enunciatur de perſona aliqua beatificabili una cathegorica eſſe prædeſtinatum, & in alia poſſe damnari, & iſta duo ſunt vera de eodem ſubjecto, nec ita vera, quod ſimul eſſe poſſint oppoſita, nec etiam quod unum poſſit ſuccedere alteri, quia in æternitate eſt utrumque, ſed vera ſimul inquantum volitio divina conſideratur, ut prior naturaliter tranſitu ipſius ſuper illud objectum, quod eſt gloria iſti; & in illo priori naturaliter non repugnat ſibi eſſe oppoſiti objecti imò poſſet æqualiter eſſe oppoſiti, licet non ſimul amborum: ità Doctor loc. cit. ex quo conſtat ſenſum illius propoſitionis non eſſe, quem aſſignat Lichetus, ſed omninò oppoſitum.

213 Ad 3. non benè explicat Lichetus, & præſertim ad mentem Doctoris loc. cit. quid ſit Deum agere de potentia ordinaria, & abſoluta; nam ex Doctore ibidem tunc dicitur Deus operari ſecundum potentiam ordinariam, quando agit juxtà leges univerſales jam ab ipſo latas tam in ordine naturæ, quam gratiæ, ut v. g. quod vult concurrere cum omnibus cauſis ſecundis ad earum effectus, quod omnes homines ab Adamo per naturalem propagationem deſcendentes originali culpæ ſint obnoxij, & ſimiles; tunc verò dicitur agere de potentia abſoluta, quando in quibuſdam caſibus ſpecialibus operatur contra, vel præter illas leges; ut cum in ordine gratiæ B. Virginem Deiparam ab originali culpa præſervavit, ut notat Doctor 4. d. 3. q. 1. in ordine naturæ ſubtraxit generalem concurſum igni Babylonico, ne pueros combureret Dan. 3. qui alias debitus erat ſecundum legem communem; & quidem in his caſibus non dicitur Deus revocare in tempore decretum aliquod ab æterno factum; quia cùm ab æterno leges univerſales tam in ordine naturæ, quam gratiæ præfixit, ſtatuit pariter in quibuſdam caſibus ſpecialibus nonnulla decreta, & judicia particularia præter, vel contra illas leges, juxtà quæ operatur in tempore, undè non ſequitur unquam, quod in tempore aliquid velit, quod ab æterno noluerit, aut è contrà; interdum etiam per potentiam ordinariam intelligitur decretum, quod ſtatuit ab æterno, & per abſolutum decretum oppoſitum, quod in eodem inſtanti ſtatuere poterat in eodem æternitatis inſtanti ob ejus libertatem ad utrumlibet.

Ad 4. occaſione illius argumenti diſputant Recentiores p. 214
1. q. 19. art. 7. an poſtquam Deus decrevit aliquid fore, habeat potentiam phyſicam, & realem, ut illud non ſit, & Cajet. ibi inquit non manere potentiam phyſicam, quia non manet potentia ad contrarium actum, manere tamen potentiam Logicam, quia ex natura rei abſolutè non repugnat Deum velle, & non velle; Sed alii Recentiores ibidem concedunt nedùm manere potentiam logicam, ſed etiam phyſicam, & realem cum Scoto 1. d. 39. *§. quantum ad 2. art.* quia potentia Dei non deſtruitur proprio actu, ſicut ergo potentia, quæ producit effectum dicitur manere, ità quoque potentia Dei, ità Vaſquez, Zumel, Turrian. & alii ibid. & ità ſanè dicendum eſt, poteſt enim Deus efficere, quidquid abſolutè, & ſecundum ſe poſſibile eſt, & ſi ex parte creaturæ eſt potentia, ut fiat, etiam ex parte creatoris potentia activa vera, & realis ad talem effectum correſpondere debet; ſed Antichriſtum non eſſe etiam facto decreto de ejus futuritione eſt ſimpliter, & abſolutè poſſibile; ergo in Deo eſt vera potentia, ut non ſit Antichriſtus modò; major patet quia rei impoſſibilitas nunquam ex parte Dei ſumitur, ſed ex parte rei, probatur minor, cum enim Antichriſtus modò pendeat in futurum, tam eſſe illius, quam non eſſe habet rationem poſſibilis, alioquin non eſſet futurum contingens, ſed ſimpliciter neceſſarium. Nihilominus eſtò habeat Deus potentiam oppoſitum faciendi, quod ſtatuerat; nunquam tamen oppoſitum aut faciet, aut decernet, aut volet, quia id contingere non poſſet abſque intrinſeca mutatione divinæ voluntatis, ut hactenus probatum eſt, neque hoc præjudicat divinæ libertati, quia ut dictum eſt ex Scoto 1. d. 39. libertas perfecta, & ab omni imperfectione ſejuncta non conſiſtit in potentia ad oppoſita ſucceſſivè, & pro diverſis inſtantibus, ſed ad oppoſita pro eodem inſtanti diſiunctim, & ideò hæc tantum eſt Deo tribuenda; eſt enim Theologorum regula, quod Deo tribuenda ſunt omnia, quæ ſunt ex ſuo conceptu perfectiora, ſi aliundè non opponantur alteri divinæ perfectioni; iſta autem libertas oppoſita ſucceſſivè, quam nititur Lichet. in divinis invehere, opponitur divinæ immutabilitati, vel ſaltem virtuti conſtantiæ, quam Deus ex ſua infinita perfectione tenetur habere non recedendo ab eo, quòd ſemel & libęrrimè, & ſapientiſſimè decrevit.

Quartò obiicitur ex ſcripturis, ubi interdum dicitur Deus 215
pœnitere facti, quod eſſe nequit ſine mutatione voluntatis & Deus aliquando prædixit aliqua eventura, quæ tamen non evenerunt, ut conſtat de ſubverſione Ninive Jon. 3. & morte Ezechiæ 4. Regum, ex quo videtur colligi mutatio decreti. Sed jam conſtat ex dictis num. 195. Deum non dici pęnitere propriè, ſed metaphoricè, quatenus deſtruit à ſe factum ad modum pænitentis, quo pacto hominem delevit, quem creaverat, & regnum abſtulit à Saule; futura verò non eodem modo prædicit Deus, quædam enim prædicit ut abſolutè futura, & quædam ſub conditione tantùm, aut ſolùm ſecundum communem curſum cauſarum naturalium, & quodlibet decretum juxtà ſuam conditionem, ac naturam immutabile manet, & vera prædictio; quod ſi interdum prædictio non impletur, ſignum eſt decretum non fuiſſe omninò abſolutum, ſed conditionatum, & quia con-

conditio non eſt poſita, futura quoque ab ea dependens non eſt in eſſe oppoſitum.

Quintò obiicitur; ſi actus iſti exiſtunt ab æterno; ergo non ſunt liberi; patet conſequentia, nam nullum eſt inſtans reale; in quo primo incipiant; ergo nullum erit inſtans in quo ſint liberi, patet ſequela, quia ſi ſemper antè omne inſtans ſupponuntur fuiſſe, ſemper erunt neceſſarii, & conſequenter nunquam liberi, quia nunquam ita habentur à Deo, ut potuerint non haberi, hoc enim potuit ſolùm contingere in primo inſtanti, nam in ſecundo inſtanti non poſſunt non haberi, primum autem inſtans non eſt in æternitate. Confirm. ex ſuppoſitione, quòd Deus aliquid voluerit ab æterno, ſequitur hodie non poſſe à volitione ceſſare, & conſequenter hodiè non vult libere.

216 Reſpon. hoc argumentum etiam eos urgere qui contendunt poſſe Deum in tempore nolle, quod ab æterno voluit, aut è contrà, nam talis volitio in æternitate præcedens non erit libera ex vi argumenti, ſed ſola volitio in tempore incipiens; itaque negatur conſequentia utraque; ſicut enim potuit liberè à Deo produci ab æterno creatura ſaltem permanens ex dictis diſp. 14. Phyſ. eſto nequeat aſſignari primum inſtans, ante quod non ſupponatur liberè exiſtens, ita in propoſito dicendum de actibus Dei liberis, etenim in his, quæ ab æterno eſſe ſupponuntur, non eſt quærendum principium durationis; undè negatur etiam probatio tota ſecundæ conſequentiæ, quia tales actus liberi in Deo fuerunt ſemper ante quodcunque inſtans aſſignabile, & ſemper fuere liberi, non quidem quoad exiſtentiam, ac entitatem Deo intrinſecam, ſed quoad terminationem ad ſecundaria objecta, & hoc modo fuere liberi in quocunque inſtanti aſſignabili, nam in quocunque inſtanti divina voluntas ita concipitur in objectum extrà tendere, ut ſimul poſſit non tendere, loquendo de ſimultate potentiæ, non de potentia ſimultatis, quia in quocunque inſtanti ſemper intelligitur operari, ut prior tali tendentia, in quo præciſè ſita eſt libertas operationis ejus. Ad confirm. pariter negatur utraque conſequentia, nam etiam hodiè ſimpliciter & abſolutè loquendo poteſt ab æterna volitione ceſſare, ac etiam oppoſitum decernere, in ſenſu tamen diviſo, non compoſito, ut dictum eſt num. 214. cum enim ea ſuppoſitio non ſit antecedens, ſed omninò conſequens, & in poteſtate volentis, nullatenus per eam impeditur libertas divinæ volitionis hodiè; ſicut ex hypotheſi, quòd heri decreverim continuare per totum hunc diem actum amoris in Deum, adhuc dicor hodiè liberè velle, & non neceſſariò, quia iſta neceſſitas non eſt antecedens, ſed conſequens; imò quantum ad id, quod perfectionem importat liberior eſt hodiè Deus in ſua volitione, quàm ego, quia in æternitate *heri*, *& hodie* non diſtinguuntur, ſicut in tempore, cùm importet æternitas unum, & indiviſibile nunc ſemper permanens, & numquam deficiens, undè in Deo idem eſt velle hodiè, ac heri, & mille annis elapſis, & ideò divina volitio hodierna non tàm ex ſuppoſitione, quàm formaliter, dici debet libera, quia ejus libertas eſt ex ſuppoſitione præſenti, & non præterita, quæ nullam prorſus tollit formalem libertatem nam omne quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe.

217 Sextò tandem obiicitur, quòd de facto Deus voluntatem ſuam mutet, amat enim juſtum, dum eſt in gratia; ceſſat ab ejus amore, cùm illam amittit, & incipit illum odiſſe, Reſp. ex Scoto 4. d. 16. quæſt. 2. in corpore quæſtionis divinam voluntatem in hujuſmodi caſibus nullum actum mutare, ſed ſimul in Deo exiſtere amorem, & odium illius hominis, licèt pro diverſis temporibus, ex qua diverſitate omnis tollitur repugnantia, amorem quidem pro tempore quo fuit in gratia, odium verò pro tempore, in quo fuit peccator, At inſtat Arriag. diſp. 29. cit num. 4. in hac communi reſponſione maximam latere difficultatem, ſequitur enim Deo tàm nunc de facto diſplicere S. Petrum, quàm dum fuit actu peccator, & per totam æternitatem Deum ſemper ejus futurum inimicum, quod valdè durum videtur; probatur ſequela, quia Deus non mutavit ullo modo ſuum actum, & conſequenter, ſicut illum odio inimicitiæ proſecutus eſt, quando negavit Chriſtum eo modo proſequetur per totam æternitatem, quòd enim jam S. Petrus non habeat peccatum, tam parum immutat actus Dei, quàm ſi adhuc eſſet in peccato; Conf. quia id videtur contra loca illa ſcripturæ, in quibus Deus dicitur amplius non recordaturus iniquitatum, poſtquam juſtus egerit pęnitentiam, ibi enim ſignificatur odium eſſe deponendum contra peccatorem pœnitentem; quomodo autem id verum eſſe poteſt, ſi Deus manet in eodem formaliſſimo actu odii ergà illum, & perpetuò in eo manſurus eſt, cum actus ille ſit ęternus quoad totam ſuam odii formalitatem.

Reſpondet Arriag. ſequelam illatam ſine abſurdo concedendam eſſe, nam etiam in nobis hæc duo non repugnant, quod v. g. Petrum jam mihi infenſum accepta ſatisfactione amem, & ſimul diſpliceat injuria, quam actu recordor anno præterito mihi intuliſſe, ſed hæc pariter claudicare videtur, nam hodiè v. g. Deus non tantùm diſplicent in peccato negationis, quod S. Petrus patravit olim, ſed etiam actu odit ipſum S. Petrum propter illud peccatum, quia actus ille etiam quantum ad ultimam formalitatem odii Petri perpetuus perſeverat, nam talis formalitas cum ipſa actus entitate cenſetur idētificata. Reſpondet Arriag. quòd licèt tale odium actu maneat in Deo ob immutabilitatem Dei, tamen Petrus non eſt objectum hujuſmodi actus pro hoc tempore, ſed tantùm pro præterito, in quo Chriſtum negavit, ũdè pro hoc tempore ſic eum diligit, ac ſi illud odium etiam pro tempore præcedenti actu non eſſet, & poteſt dici veluti mortuum, & nihil omninò nocere, ac ſi non eſſet ac nunquam fuiſſet. Hęc tamen ſolutio tota in verbis conſiſtit, nam ſi Deus actu retinet odium erga S. Petrum pro negatione præterita; ergo non eſt verè cum eo reconciliatus, & perfectè, quia reconciliatio petit, ut deponatur quicquid eſt de odio, ſed odium retinendo pro tempore præterito, & habendo actum amoris pro præſenti, amicitiam cum inimicitia veluti conjungit.

Reſpondetur ergo meliùs, & clariùs ex eodem Scoto 218
cit. 4. d. 16. q. 2. quòd Deum odiſſe Petrum eſt ipſum ordinare ad pęnam, ſi judicetur nimirùm, quando eſt in reatu culpæ, & ait hanc volitionem non eſſe abſolutam, ſed conditionatam, quia ſi vellet peccatore ſtatim, cum peccat punire, ſtatim puniret; amor vero, quo proſequitur Beatum in patria, & quo vult ei gloriam in perpetuum, non eſt volitio conditionata, ſed abſoluta; quia à nulla conditione dependet; quamvis ergo etiam nunc permaneat actus ille odii in divina voluntate ergà S. Petrum, tamen quia fuit volitio conditionata, & conditio non eſt in actu poſita, nec ipſe dicitur amplius Dei inimicus; nec Deus illum amplius odio proſequi, ſed abſolutè dici debet eum amare, quia denominatio ſumi debet à volitione abſoluta, quæ eſt ſimpliciter volitio, non à conditionata etiamſi perſeveret, quæ eſt tantum volitio ſecundum quid; Tum quia etiamſi permaneat actus ille odii in divina voluntate, tamen non refertur ad Petrum pro hodiè, & pro toto tempore futuro, ſed tantũ pro tēpore pręterito in quo Chriſtum negavit, quarè ex hoc non poteſt inferri, Deum nunc odiſſe S. Petrum, ſed tantum illum olim odiſſe. Deinde, ut probè notavit Aretinus in locum citatum 4. d. 16. q. 1. artic. 3. propè finem, hominem eſſe Dei inimicum, non ſolum dicit ordinationem paſſivam ad pęnam, vel eſſe objectum ordinationis activæ divinæ, nam hæc ordinatio manet etiam quando homo eſt beatus, quia cum talis ordinatio in Deo ſit æterna, ſi Deus ſemel habet talem ordinationem, in æternum habet, & etiam permanet cum beatitudine illius hominis; quia ſemper eſt verum dicere, hominem eſſe ordinatum ad pœnam æternam, ſi in mortali decedat; ultrà hoc ergo hominem eſſe Dei inimicum requirit, ut homo ſit in eodem tempore, in quo, & pro quo eſt ordinatus ad pęnam, nempè in eo, in quo ſi moreretur, damnaretur; quare tranſire ad id tempus in quo ſi moreretur, ſalvaretur, eſt tranſire ab affirmatione in negationem inimicitiæ Dei, vel à negatione in affirmationem amicitiæ Dei: cum igitur S. Petrus hodiè non exiſtat in eo tempore, pro quo erat ordinatus ad pænam, ſed in eo, in quo eſt ordinatur ad gloriam, non poteſt dici inimicus, ſed debet dici amicus Dei, neque dici poteſt objectum odii, ſed divini amoris, quia hoc quod eſt hominem eſſe objectum odii, vel divini amoris, non dicit præciſè tranſitum talis actus ſupra talem hominem, ſed etiam pro tali, vel tali tempore, pro quo ordinatus eſt ad pænam, vel gloriam.

QUÆSTIO QUINTA.

De immenſitate Dei.

Quomodo Deus ſit immenſus, & an ex ejus omnipotentia formaliter inferatur immenſitas.

ARTICULUS PRIMUS.

Reſolvitur prima pars Quæſtionis.

DEum eſſe immenſum, & ubique reperiri per ſuam in- 219
finitam ſubſtantiam præſentialiter diffuſam, eſt de

fide,

fide, idque unanimiter docent Patres, ac Scholaſtici omnes, & deducitur clarè ex Sacra ſcriptura Hyer. 23. *Cælum, & terram ego impleo* Sap. 1. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum*. Pſalm. 138. *Si aſcendero in Cælum, tu illic es, ſi deſcendero in infernum ades*; Porrò quia ex his, & ſimilibus ſactis teſtimoniis ſolùm deducitur præſentia Dei in hoc toto univerſo, ortum eſt dubium inter Scholaſticos, an Deus ratione immenſitatis non tantùm ſit præſens toti mundo, ſeù omni creaturæ actuali, verùm etiam infinito ſpatio, quod imaginamur extrà mundum, atque adeò an etiam antè mundi creationem fuerit in ſpatio; in quo mundus intelligitur collocatus; in qua controverſia negant quamplures Deum extrà hunc mundum per ſpatia imaginaria diffuſum, ita Vaſquez p. 1. diſp. 29. & Thomiſtæ paſſim Ovvied. contr. 25. Phyſ. puncto 3. Granad. diſp. 3. de immenſitate Dei, Nazar. art. 2. controv. un. Poncius diſp. 3. n. 36. Navaret. contr. 25. & cenſetur D. Bon. 1. d. 37. part. 2. art. 1. q. 3. & Scoti ibidem, quem paſſim noſtri ſequuntur, & in hoc ſenſu interpretantur. Affirmant alii ut Suarez in Met. diſp. 30. ſec. 7. Molin. p. 1. q. 8. art. 1. Zumel art. 1. q. un. Valent. punc. 2. Amic. diſp. 8. ſect. Arriag. diſp. 14. Phyſ. ſec. 4. Averſa p. 1. q. 8. ſec. 4. Alii tandem dicunt Deum utique eſſe actu extrà hunc mundum, non tamen in ſpatio aliquo imaginario, ſed in ſeipſo tantùm, ita Bannez p. 1. q. 8. Faſol. ibid. dub. 4. Gillius lib. 2. tract. 9. c. 19. Smiſing. tom. 1. de Deo trac. 2. diſp. 5. q. 2. & Brancaſius loco mox citando.

220 Hanc partem quæſtionis, an ſcilicèt Deus ſit in ſpatiis quoque imaginatis extrà Cœlum, tractavi diſp. 11. Phyſ. q. 6. ubi dixi hanc queſtionem cum Auctoribus primæ ſentētię eſſe quæſtionem de re, quia firmiter negant Deum ullo modo reperiri extrà hunc mundum. & intantùm dicunt divinam immenſitatem hoc mundo non concludi, non quia ex vi ejus modò ſit extrà Cœlum, ſed quia natus eſt fieri præſens præſentia ejuſdem rationis alteri univerſo, imo, & infinitis ſi exiſterent, quam divinæ immenſitatis explicationem oſtendo ibi n. 92. quædam ſacra teſtimonia non admittere aſſerentia Deum hoc mundo non capi, ſed eſſe eo majorem *Cœlo, & Cœli Cœlorum te non capiunt*. 3. Reg. 8. *Excelſior Cœlo eſt*. Job. 11. *quem totus non capit orbis* canit Eccleſia, quandoquidem hæc, & ſimilia loca de aptitudinali præſentia divinæ immenſitatis cuicunque rei poſſibili explicari non poſſunt, cùm expreſſè loquantur de actuali præſentia, & repletione, & aſſerant etiam quoad hanc Deum hoc mundo non capi; eodem etiam modo loquuntur plerique Patres dicentes Deum non ſolùm diffuſum eſſe per ſuam ſubſtantiam per totum hoc univerſum, ſed etiam extrà, quod præſertim D. Aug. 7. confeſſ. c. 5. explicuit exemplo ſpongiæ in mari exiſtentis, ità nimirum ut totus hic orbis ſit veluti parva ſpongia, Deus verò immenſum pelagus, ac infinitum quod non tantùm ſua præſentia ſpongiam implet, ſed illam circumquaque in infinitum excedit; quæ pariter PP. teſtimonia de exiſtentia extrà hunc mundum potentiali commodè nequeunt explicari, nam eodem modo dicunt Deum intrà, atque extrà mundum eſſe, cùm ergo Deus intrà hunc mundum ſit in actu, ſic pariter extrà mundum exiſtere ſunt arbitrati, ut pluribus oſtendit Averſa q. 8. cit. ſec. 4. Revera igitur Deus etiam extra hunc mundum reperitur per ſuam ſubſtantiam infinitè diffuſus; itaut ſi Beatus modo ultrà Cœlum empireum figeret intuitum extra ultimam Cœli ſuperficiem extimam, licèt ibi nullum videret corpus, videret tamen divinam ſubſtantiam per illud inane diffuſam, quod loc. cit. in Phyſ. pluribus firmavi rationibus etiam juxtà Scoti principia deductis; neque enim Doctor oppoſitum docet 1. d. 36. neque ibi abſolutè negavit Deum antequam crearet mundum præfuiſſe in ſpatio, in quo mundum creavit, ſed ſolum dixit non fuiſſe neceſſarium eſſe præſentem intervallo, vel ſpatio illi, ut mundum crearet, ut hinç inferret contra D. Thomam ad operandum alicubi non indigere præſentia ſecundum ſubſtantiam, de hoc enim puncto ibi diſſerebat, an immenſitas neceſſariò præcedat omnipotentiam, ut explicui diſp. 11. cit. q. 6. n. 99.

221 Reſtat itaque ſola quæſtio de nomine cum Auctoribus tertiæ ſententiæ concedentibus Deum utique extrà quoque hunc mundum reperiri, & exiſtere, negant tamen dici poſſe reperiri in aliquo ſpatio imaginario, & contendunt dici tantum poſſe exiſtere in ſeipſo; ſic enim loquuntur Patres Bernardus lib. 5. de conſid. aliquanto antè medium. *Ubi erat Deus, antequam mundus fieret, ibi eſt; non eſt quod quæras ultra, ubi erat; præter ipſum nihil erat, ergo in ſeipſo erat*. Au. in Pſ. 112. *antequam faceret Deus Cælum, & terram, ubi habitabat, in ſe habitabat Deus, apud ſe habitabat, & apud ſe eſt Deus*, & ſic paſſim loquuntur alii, ex quo etiam deducitur ratio, quæ eſt fundamentum tertiæ ſententiæ; ſpatium imaginarium non eſt verè à parte rei aliquod poſitivum reale, ac proindè non eſt reipſa locus, aut ſpatium, aut quantitas, ſed mera negatio loci, ſpatii, & quantitatis, ergo ſapientiſſimè pronunciarunt Patres Deum antè rerum creationem, quando extrà ipſum nulla res prorſus erat, atque adeò nullus verus locus, nullum verū ſpatium, non fuiſſe verè extra ſeipſum in aliqua re, aut loco, aut ſpatio, ſed in ſeipſo tantùm, ita arguit Faſol. q. 8. cit. art. 1. dub. 3. Ovvied. controv. 15. Phyſ. punc. 3. & alii.

Sed jam dixi in Phyſ. cit. hanc eſſe quæſtionem de modo loquendi, & quod licèt meliùs eſſet dicere cum Patribus Deum eſſe extrà hunc mundum, & antequam mundum cōderet fuiſſe in ſeipſo, nihilominùs poſſe etiam admitti aliū loquendi modum, quòd ſit in ſpatiis imaginariis, vel illi præſens, prout hic loquendi modus indicat, non quidem poſitivā aliquam divinæ ſubſtantię pręſentiam illi ſpatio, cum hoc nihil reale poſitivum ſit à parte rei, ſed prout dicit puram indiſtantiam divinæ ſubſtantiæ ab illo ſpatio, vel intimam ejus coexiſtentiam cum tali negatione extrà mundum; cùm enim ſpatium extrà Cęlum verè ſit admittendum, velut negatio realis corporum cum non repugnantia ex parte eorum, ut ibi ſint nullo conſiderante intellectu, ſicut dantur aliæ negationes, & privationes reales, ut tenebræ, cæcitas, &c. conſequenter dicere poſſumus, Deum eſſe in ſpatio, ideſt tali negationi coexiſtere, quemadmodum abſente Sole mundum dicimus eſſe in tenebris; quare cum dicimus Deum eſſe in ſpatiis imaginariis non eſt ſenſus, quòd ſit in eis, tanquam in loco, & ut ly *eſſe in*, dicit realem coexiſtentiam loci, & locati, vel realem, & poſitivam præſentiam unius ad aliud, ſed tantùm ſenſus eſt divinam ſubſtantiam illi negationi extrà genus (quia in nullo reperitur ſubjecto) per ſpatium importatæ coexiſtere, & ab eo ſpatio eſſe indiſtantem, & cùm Patres id negare videntur, planè in primo duntaxat ſenſu loquuntur, & hoc ipſum, & non aliud convincit ratio allata ex eorum dictis deducta; Itaque nedùm quantùm ad rem ſpectat, Deus reipſa, & actu extrà mundum reperiri rationabiliter dici debet; ſed etiam quantum ſpectat ad ipſum loquendi modum, poteſt in aliquo ſenſu dici eſſe in ſpatio imaginario potiori ratione, quàm diceretur eſſe in chimera, figmentis, aliiſque negationibus; qualem autem negationem propriè importet ſpatium imaginarium ex profeſſo declaravi diſ. 11. cit. Phyſ. q. 1. ar. 1.

222 Et hic dicendi modus in ſenſu jam explicato uſurpatur à SS. Patribus, etenim D. Aug. 11. de Civit. Dei ca. 5. ait abſurdum eſſe *divinam ſubſtantiam ponere incorporea præſentia ubique totum, & à tantis locorum extra mundum ſpatiis abſentem*; fatetur ergo Deum eſſe præſentem quoque ſpatiis extrà Cęlum, accipiendo præſentiam pro ſimplici indiſtantia, quæ dici ſolet præſentia negativa, & explicatur per negationem abſentiæ; quam auctoritatem benè ponderat Suarez diſp. 30. met. nu. 30. Quod etiam probatur ratione, quam fusè proſequor loc. cit. etenim extrà hoc univerſum concedenda eſt neceſſariò indiſtantia negativa, & infinita, per quam Deus poſſet hunc mundum movere in infinitum, & in qua alios quoque mundos ad libitum condere poſſet; ergo per totam illam diſtantiam Deus diffunditur per ſuam immenſitatem, ac virtualem extenſionem; conſequentia patet, repugnat enim immenſitati Dei, quod detur ſpatium aliquod occupabile, ſivè poſitivum, ſivè negativum, quod actu à Deo non ſit occupatum, quia tunc non foret immenſus; quòd autem talis diſtantia realis negativa admitti debeat etiam in vacuo oſtendit Doctor quol. 11. art. 2. F. Quod adhuc ulterius confirmatur, quia ut arguebam loc. cit. juxtà Scoti principia, & ſecundùm veritatem, poteſt fieri motus in vacuo; ergo ſi in eo poteſt Lapis, vel Angelus moveri, poteſt etiam in eo aliquo pacto exiſtere, nam motus ſupponit exiſtentiam mobilis, in quo fit motus; ergo eodem modo quo tunc Lapis, vel Angelus diceretur eſſe, & exiſtere in illo ſpatio vacuo, eſſet quoque ibi Deus & eodem modo nunc de facto dicendus eſt exiſtere in ſpatio, quod dicitur eſſe extra Cęlum, non quidem poſitivè, ſed negativè, quatenus non eſt ibi corpus aliquod à Deo productum, quod per repletionem tollat talem negationem, quæ per ſpatium imaginarium importatur. Et quidem ratio hæc tam evidens eſt, ac obvia in principiis Scoti ad hoc aſſertum probandum, ut duo famigerati Scotiſtæ Faber in 1. diſp. 52. cap. 3. in fine, & Vulpes tom. 1. diſp. 18. art. 3. ad eam evadendam auſi ſint negare vacuum eſſe poſſibile etiam divina virtute; & quando dixit Doctor fieri poſſe motum localem in vacuo, ſi daretur, inquiunt locutum eſſe ex hypotheſi impoſſibili. Quod quantum à veritate diſtet, nemo eſt, qui non videat; nam Theologi nedum hoc denegant divinæ virtuti, ſed quidam contendunt vacuum etiam Angelica virtute fieri poſſe, idque docuit ex profeſſò Doctor quol. 11. ar. 2.

ubi probat, nullam eſſe contradictionem, quòd ſuperficies concava remaneat de potentia Dei ſaltem abſoluta abſque corpore contento, atque ideò poſſe Deum annihilare elementa, & nihil innovare circa eſſe Cęli, quo poſito latera Cęli non concurrerent in inſtanti, quia natura non poteſt facere talem tranſmutationem in inſtanti, undè tandem concludit remanere poſſe ſuperficiem concavam Cœli, & tamen non continentem aliquod corpus; urget deindè tria argumenta, quæ à Phyloſophis fieri poſſent pro impoſſibilitate vacui, quæ poſtea ſingillatim diſſoluit, & præſertim in ſolutione tertii docet dandam eſſe in vacuo diſtantiam illam realem negativam, ratione cujus poſſet fieri motus; non ergò quando Doctor dixit poſſibilem eſſe motum localem in vacuo, ſi eſſet poſſibile dari, locutus eſt ex hypotheſi omninò impoſſibili, ſed tantùm impoſſibile ſecundùm communem naturæ curſum, ut notavi diſ. 12. Phyſ. q. 1. quæ eſt communis Scholaſticorum opinio.

223 Sed inſtat Brancaſius noſter tom. 1. de Deo uno diſp. 9. q. 13. n. 17. nullo pacto dici poſſe Deum eſſe in ſpatiis imaginariis extrà mundum, quia ibi nihil eſt, & non eſt locus, eſſe autem alicubi eſt in ſe fundare, & terminare relationem ad locum, ibi nulla ad Deum reperitur relatio, nihil ergo terminat, nec ad aliquid refertur. Item nihil ibi producit, nihil conſervat, nullam experimur ibi operationem; igitur ibi non eſt, quo fit, ut antè mundum reſpectu ad talia ſpatia diceretur non in ſpatiis fuiſſe, ſed in ſeipſo, & nunc reſpectu ad ſpatia eadem nō dicatur in illis eſſe, ſed in ſolo ſeipſo. Cęterum hoc argumentum probat tantùm, quod ſupradictum eſt, Deum non eſſe in ſpatiis imaginariis, ut in loco, & ut ly *eſſe in* dicit realem coexiſtentiam loci, & locati, vel realem, & poſitivam præſentiam unius ad aliud, non tamen probat, quod non habeat in eis præſentiam negativam explicatam per negationem abſentiæ, aut per ſimplicem indiſtantiam eo modo, quo haberet Angelus, vel alius mundus, ſi crearetur in eis, nam Deus per intrinſecam ſuæ præſentiæ exhibitionem exiſtit de facto, & neceſſariò, ubicunque poteſt exiſtere creatura; & hoc quidem adeò clarum eſt, atque conſpicuum, ut hæc non ſit cenſenda conditio niſi de nomine, & modo loquendi, an dici debeat Deum exiſtere extrà mundum in ſeipſo, & an etiam dici poſſit eſſe in ſpatiis imaginariis, dummodo enim divinam ſubſtantiam intra hunc mundum non concludamus, ſed concedamus etiam eſſe extrà ipſum, ſufficit, ut dignè ſentiamus de divina immenſitate, ſive dicatur extrà mundum exiſtere in ſeipſo, ſive in ſpatiis imaginariis; & rurſus repeto, quod ſuprà dixi; melius eſſe dicere cum Patribus, quòd extrà mundum, & antè mundum Deus eſt in ſeipſo, ſed dicentem quoque eſſe in ſpatiis imaginariis ſenſu jam explicato, non eſſe acriter reprehendendum, ut cenſent nonnulli. Aliud verò argumentum, quod ſubdebat hic Auctor, nihil ibi producit, nihil operatur, ergo ibi non eſt, planè eſt admiratione dignum, nam q. 2. præcedenti probaverat ille contra D. Thomam ſubſtantiam ſpiritualem non eſſe in loco per operationem, ſed per intimam ſuæ ſubſtantiæ exhibitionem, & inſuper ex operatione agentis alicubi non inferri formali conſequentia præſentiam entitativam ejuſdem, ſi ergo hunc arguendi modum noluit Thomiſtis admittere, ut legitimum, neſcio quomodo, & qua de cauſa poſtea ſibi licuerit eodem modo arguere; cætera ad hanc partem quæſtionis ſpectantia de præſentia Dei in ſpatiis imaginariis, & alias objectiones contrà noſtrum dicendi modum ſolutas, vide diſ. 11. Phyſ. cit. q. 6. ubi ex inſtituto hac de re diſſeruimus. Thomiſtæ germani tenent, Deum non eſſe in ſpatiis extrà mundum, quia putant Deum eſſe alicubi per operationem, tanquam per rationem præſentiæ per eſſentiam, quod fundamentum eſt falſum, ut mox patebit.

ARTICULUS SECUNDUS.

Altera Quæſtionis pars diſcutitur.

224 CIrcà alteram quæſiti partem, an ex omnipotentia Dei ejus immenſitas formaliter, & immediatè inferatur, ſeu ut alii dicunt, an ex operatione Dei in rebus colligatur, evidenter intima ejus præſentia in omnibus, ſciendū eſt Dei immenſitatem ſolere à Theologis probari ex variis ejus attributis; Primò quidem ex infinitate, quia ſi Deus eſt infinitus in eſſentia; ergo etiam in quavis perfectione ſibi intrinſeca; ergo etiam in hac coexiſtendi ſpatio infinito, nam planè perfectius eſt eſſe ubiq; quam in uno tantùm loco recludi, & coarctari. Secundò ex immutabilitate, quia ſi Deus non eſt immenſus per ubiquitatem, ergo per motum localem novum locum acquirere poſſet, ubi prius non erat. Tertiò ex ęternitate, quia Deus caret omni menſura temporis, ergo & loci, atq; adeò omnibus locis neceſſariò eſt præſens per immenſitatem ſicut omnibus temporibus per æternitatem; quæ rationes, an ſint demōſtrativæ, vel ſolū probabiles, ut cōtendunt Rubion 1. d. 37. q. 2. ar. 2. Baſſol. ibidem q. un. art. 1. Smiſin. tr. 2. diſp. 5. q. 1. non eſt præſentis negotii. Quartò tandem probat D. Th. 1. p. q. 9. ar. 1. ex attributo omnipotentiæ, probat enim, Deum eſſe præſentem in omnibus rebus, & ubique quia in omnibus illis operatur, omne autem agens debet eſſe conjunctum paſſo circa quod operatur ex Ariſt. 7. Phyſ. tex. 10. 11. & 12. Quæritur ergo an hæc deductio teneat per conſequentiam formalem, & immediatam, ſeu ut ajunt per locum intrinſecum, itaut præcisè ex ipſa Dei operatione in omnibus neceſſariò deducatur immenſitas, & ubiquitas; non autem eſt quæſtio, an teneat per conſequentiam ſolùm materialem, & ex concomitantibus ideſt ex aliis connexis cum ipſa Dei operatione; ſic enim certum eſt ex omnipotentia Dei deduci poſſe immēſitatem, ſicut ex uno attributo in divinis poteſt aliud quoque inferri ratione infinitatis; hoc enim pacto benè arguitur, Deus eſt infinitè potens, ergo eſt infinitè ſciens, nam cum infinita potentia non ſtat ſcientia limitata, & finita; attamen hæc conſequentia non eſt formalis, & per locum intrinſecum, quia non per ſe, & immediatè ex potentia infertur ſcientia, ſed ex natura illimitata, in qua connectuntur ambo, atque ita tenet per locum extrinſecum, & ex concomitantibus, atque ideò eſt conſequentia materialis ſolùm, non formalis; non ergo eſt quæſtio, an ex omnipotentia Dei inferatur immenſitas conſequentia ſolum materiali, & per locum extrinſecum, quia id omnes concedunt, ſed an inferatur conſequentia formali, & per locum extrinſecum, ſive hoc ſit à priori, ſivè à poſteriori.

225 Sic explicato quęſtionis titulo partem tenent affirmativā Thomiſtæ omnes 1. p. q. 8. ar. 1. ubi Cajet. Bannez, Nazarius, & alii expoſitores, Capreol. 1. d. 37. q. 1. art. 1. ubi Aur. Durand. & Argent. item Reces 1. p. q. 8. Zumel. Molin. Faſol. Gillius lib. 2. tract. 9. cap. 3. Lezana tract. 2. diſp. 7. q. 2. Suarez in Met. diſp. 30. ſec. 6. Blaſius à Concep. diſp. 14. Met. q. 1. & alii; qui tamen Auctores non ſatis inter ſe conveniunt in explicanda ratione S. Thomæ, nùm ſit à priori, vel tantùm à poſteriori; Thomiſtæ germani cenſentes juxtà veram S. Th. ſententiam præſentiam Dei, & cujuſcunque ſpiritualis ſubſtantiæ conſtitui per operationem in loco, vel tanquam per rationem formalem, itaut operatio ſit ipſa ſubſtantiæ ſpiritualis præſentia, vel tanquam per rationem primam fundamentalem, itaut operatio in loco ſit fundamentum proximum relationis præſentiæ, ſicut dici ſolet, generationem eſſe rationem fundandi paternitatem, omnes, inquam, iſti contendunt rationem D. Th. eſſe à priori, eo quia præſentia entitativa Dei in rebus per ejus operationem demonſtratur à priori, vel tanquam effectus formalis per cauſam formalem, ſi operatio eſt ipſa præſentia formaliter arguendo ſcilicet à præſentia, quæ ſupponitur eſſe operatio, ad eſſe præſens, ſicut ab albedine ad album; vel tanquam ratio formalis per rationem fundamentalem, ſi operatio eſt ſolùm ratio proxima fundandi præſentiam, ut alii dicunt, arguendo à fundamento ad relationem, ut operatur in loco, ergo habet relationem præſentiæ in loco, ſicut ſi argueretur, generat, aut generavit, ergo habet relationem paternitatis. Recentiores verò ſentientes ſpiritualem ſubſtantiam nō eſſe in loco per operationem, ſed per intimam ſuæ ſubſtantiæ applicationem, & exhibitionem in loco, & pariter tenentes præſentiam agentis in loco eſſe conditionem neceſſariò prærequiſitam, vel ſaltem concomitantem ad agendum in tali loco, conſequenter negant demonſtrationem præſentiæ per operationem eſſe à priori; ſed dicunt eſſe tantùm à poſteriori tanquam demonſtrationem conditionis per effectum ab illa pendentem, ita quod præſentia Dei in ſpatio colligatur ex operatione, tanquam ex effectu pendente à conditione præſentiæ, aut talem conditionem concomitante.

Scotus verò è contrà 1. q. 37. q. un. tuetur, neutro modo benè demonſtrari præſentiam Dei in rebus per operationem, ubi omnes ejus expoſitores Lichet. Bargius, Vigerius, Tatar. Poſnanienſis, Faber diſp. 52. Vulpes tom. 1. diſp. 18. art. 5. Smiſingh. trac. 2. diſp. 5. q. 1. Brancaſius diſp. 9. q. 2 Mairon. Rubion. Baſſol. Gabr. 1. d. 37. Rada controv. 28. art. 2. Trigoſius q. 6. art. 2. d. 2. Albertinus prædic. Vbi coroll. 7. Valent. p. 1. q. 8. punc. 1. Vaſquez ibi diſ. 28. Auerſa p. 1. q. 8. ſect. 3. Amicus diſp. 8. ſec. 2. Arriag. p. 1. diſp. 2. ſec. 9. & alii quamplures, itaut hæc ſit communis ſententia Scotiſtarum, & Nominalium. Et probatur in primis, non benè demonſtrari præſentiam Dei per operationem, tanquam per rationem formalem, vel fundamentalem eſſendi in loco, quia falſum eſt, ſubſtan-

tias ſpirituales eſſe formaliter, vel fundamentaliter in loco per opinionem ſive immanentem, ſivè tranſeuntem, ut ex inſtituto probatum eſt diſp. 11. Phyſ. q. 5. art. 2. ac rurſus in materia de Angelis oſtendemus, ſed ſunt fundamentaliter in loco per ſuam ſubſtantiam, & formaliter per præſentiam ſuæ ſubſtantiæ, ſicut corpora, licèt non circumſcriptivè ſint in loco ſicut corpora, ſed tantùm definitivè, & hæc jam eſt communis ſententia extrà ſcholam D. Thomæ; undè etiam extrà eandem Scholam pauciſſimi hoc modo defendunt ex operatione rectè colligi Dei præſentiam in rebus; ſed tuentur in alio ſenſu, quod benè, & immediatè colligitur à poſteriori; tanquam ex effectu pendente à conditione præſentiæ, eo quia putant indiſtantiam agentis à paſſo, vel ab effectu eſſe conditionem neceſſariò requiſitam ad operandum, adeout nullum agens nec finitum, nec etiam infinitum poſſit agere in diſtans; oſtendamus ergo prius non benè demonſtrari præſentiam Dei per operationem in primo ſenſu, deindè probabimus nec benè demonſtrari in ſecundo ſenſu.

226 Primò igitur probo non benè demonſtrari per operationem præſentiam Dei in rebus à priori. tanquam per rationem formalem, vel fundamentalem eſſendi in loco (præſcindendo modo ab ea quæſtione, an res ſpirituales conſtituantur in loco per operationem tranſeuntem, tanquam per rationem formalem, vel ſaltem fundamentalem) nam ſi operatio Dei eſt ratio formalis, vel fundamentalis præſentiæ Dei in rebus, ergo præſentia per eſſentiam jam non præcedit operationem, ſed ſubſequitur ſicut effectus formalis ſubſequitur ſuam cauſa formalem, vel rationem fundamentalem; ex quo rurſus ſequitur Deum poſſe operari in diſtans, & ubi non eſt, atque ideò indiſtantiam agentis à paſſo, vel ab effectu producendo in tali, vel tali loco non eſſe conditionem neceſſariò prærequiſitam ad agendum, ut prætendebant Thomiſtæ demonſtrare per rationem D. Thomæ; probatur hæc ultima conſequentia; quando enim Deus produxit v. g. hunc mundum in ſpatio, ubi modo reperitur, aut erat ibi Deus antecedenter ad talem actionem tranſeuntem, aut non; ſi non, ergo operatus eſt in diſtans, & ubi non erat; ſi ſic, ergo operatio jam non eſt ratio nec formalis, neque fundamentalis eſſendi in loco, nam erat ibi præſens, antequam operaretur.

Reſpondet Cajet. cit. quod iſtæ duæ præſentiæ per eſſentiam nempè, & potentiam, ſeu operationem, non omninò duæ ſunt, nec omninò una in ſpiritualibus, ſed habent ſe medio modo ſcilicet ut quo, & ut quod; ratio, & id cujus eſt ratio; præſentia per operationem eſt *quo*, præſentia per eſſentiam, & ſubſtantiam eſt *quod* ideſt pręſentia per operationem eſt ratio, cur Deus ſit præſens rebus per ſubſtantiam, & ſic una præſentia eſt quodammodo prior altera; quarè tandem concedit, quod ubi operatur Deus, ibi eſt per eſſentiam, quia præſentia operationis eſt ratio præſentiæ per eſſentiam. Verùm hæ ſunt conſuetæ ambages Cajetanicæ, quæ rem confundunt, & nihil declarant, quomodo enim duæ illę pręſentiæ in ſpiritualibus coincidunt, & non coincidunt, ſunt una, & non ſunt una? planè ſi ſunt una, & eadem pręſentia jam præſentia per eſſentiam non poteſt inferri ex præſentia per operationem ſine manifeſta principii petitione; ſi verò non ſunt omninò idem, ſed una eſt prior altera, ita quod pręſentia per operationem eſt ratio præſentiæ per eſſentiam, jam argumentum concludit, quod prius ſaltem natura operetur, quàm fiat præſens, ergo quando mundum produxit, operatus eſt, ubi non erat, quia præſentia per eſſentiam ſubſequitur præſentiam per operationem, non autem antecedit.

Reſpondet Bannez argumento preſſus concedendo poſſe Deum operari, ubi non eſt, quia poteſt producere Angelum extra mundum, ubi modo non eſt; addit tamen, quod eo ipſo quod operatum incipit eſſe, ſtatim Deus eſt in illo, & ſic in ſenſu compoſito ait ſemper verificari, quod eſt, ubi aliquid operatur, quatenus ad operationem, vel cum operatione neceſſariò connectitur præſentia per eſſentiam; hoc ipſum clarius adhuc fatetur Nazarius in eo art. controv. 1. not. ab quintò, cum ait; neque ita intelligendum eſt neceſſariò quodlibet agens etiam infinitum, quale eſt Deus, eſſe præſens rei, in quam agit, quaſi præſentia conditio quædam ſit ad agendum neceſſariò prærequiſita, ſicut contingit in agente corporeo, ſed agentis præſentia neceſſariò concomitatur, ut conſequitur actionem; nam eo ipſo, quod agens agit, fit formaliter præſens; ex quo etiam ibidem infert Valentiam, & Vaſquez fruſtrà laborare ad probandum Deum non indigere propinquitate ad agendum, hoc enim gratis concedimus, inquit, ſed dicimus tamen Deum ex hoc ipſo, quod operatur in rebus ipſis, ſua operatione formaliter præſentem eſſe. Ex quo tandem infero ergo fruſtrà quoque laborare Scotiſtas, dum argumento præfato prætendunt cogere Thomiſtas ad fatendum Deum poſſe operari, ubi non, eſt, nam hoc libentiſſimè fatentur. Sed neque etiam ob id gloriari debent Scotiſtæ quaſi ex hac reſponſione victoriã retulerint contra Thomiſtas, ut lactat, Brancaſius loc. cit. non amplius ſcilicèt ex operatione inferri præſentiam Dei per conſequentiam formalem, ſed tantùm per materialem. Vana inquam, eſt hujuſmodi jactantia, & conſecutio, imò ex hoc, quod operatio in ſpiritualibus eſt ratio formalis eſſendi in loco, prætendunt, hanc eſſe formaliſſimam conſequentiam, & à priori, ſicut quando effectus formalis probatur per ſuam cauſam formalem.

227 Ex alio igitur capite explodenda eſt hujuſmodi reſponſio, & in primis quia falſum eſt res ſpirituales eſſe in loco per operationem, ut dixi loc. in Phyſica, & id ſpecialiter etiam de Deo probatur, nam Deus eſt ubique per ſuam immenſitatem, tanquam per rationem formalem ubiquitatis, vel fundamentalem, non verò per omnipotentiam, quia hæc ſunt attributa ab invicem ex ſua ratione formali diſtincta, & ſicut Deus ex omnipotentia eſt in rebus per operationem, ita ex immenſitate eſt in rebus per eſſentiam; Tùm quia relatio præſentis Dei in rebus per eſſentiam in ratione formali ſui fundamenti non dependet à cauſalitate Dei, ſed ab hac cauſalitate pendet dumtaxat in genere cauſæ efficientis unum extremum, ad quod terminari debet relatio, quod extremum eſt creatura, & ratio eſt, quia ut aliquis ſit actualiter præſens alicui rei præſupponere debet ſaltem prioritate naturæ rem illam actu, & realiter exiſtentem, & hoc eſt, quod dixit Doctor 1. d. 37. in fine, *præſentia immenſitatis non præexigitur præſentiæ potentiæ ſuæ, ut potentia eſt, imò potentia prius habuit terminum ſuum, quam eſſet præſentia ſecundum eſſentiam*; ergò præſentia per eſſentiam non benè deducitur ex operatione per conſequentiam formalem à priori, ſicut ſequitur effectus formalis ex ſua cauſa formali, ſed potius per conſequentiam materialem, quatenus præſentia per eſſentiam ſupponit res prius in eſſe per operationem productas, Tùm quia per omnipotentiam non concipitur Deus formaliter coexiſtere creaturis, ſed eas facere; neque per immenſitatem concipitur eas facere, ſed illis jam factis coexiſtere; ergo relatio præſentiæ Dei per eſſentiam in rebus non fundatur ſuper omnipotentiam, quaſi operatio Dei ſit ratio formalis, vel fundamentalis præſentiæ ejus in rebus, ſed ſuper immenſitatem, undè gratis concedimus, ad actionem Dei neceſſariò ſequi præſentiam eſſentiæ in re producta, ſed negamus id provenire ex hac præcisè ratione, quia ibi operatur, ſed ſequitur ex immenſitate, tanquam ex ratione formali, vel fundamentali proxima ubiquitatis divinæ. Tùm quia eſtò Thomiſtarum opinio quantum ad operationem Dei, per quam primò res accipit eſſe, aliquam poſſet habere apparentiam, quatenus ad eam ſequitur neceſſariò præſentia Dei per eſſentiam cum tali re producta, licèt hæc cauſalitas non ſit in genere cauſæ formalis, ſed potius efficientis, ut mox dicebam, tamen loquendo de operatione Dei circà res jam conſtitutas, qualis eſt operatio conſervativa, nullam habet apparentiam, nam operatio Dei, ut formaliter conſervativa, ſicut præſupponit productionem, & exiſtentiam rei ſimpliciter, ità quoque præſupponit actualem Dei præſentiam ad rem illam, antequam intelligatur illa res conſervari, nam ſi res emitteret in ſolo primo inſtanti ſuæ creationis, & in nullo tempore ſequenti conſervaret, adhuc intelligetur Deus illi actualiter præſens in primo illo inſtanti. Tùm tandem quia in naturalibus agentibus ex actione demonſtratur præſentia, vel propinquitas agentis, (ſaltem regulariter, ac ut in pluribus,) tanquam quid prius, & præſuppoſitum ad actionem; ergo cum ratio D. Thom. ſumpta ſit ex proportione ad agentia naturalia, & ex his, quæ nos ex illis experimur, vel concludere debet, præſentiam Dei, ut conditionem ex natura rei ad agendum prærequiſita, vel certè nihil concludit, ut arguit Suarez diſp. 30. cit. num. 14. & 15. ubi proindè dicit rationem, D. Thomæ tenere non à priori, quaſi operatio ſit ratio formalis præſentiæ, ſed tantùm à poſteriori, tamquam per demonſtrationem conditionis per effectum ab illa pendentem; ſed neque in hoc ſenſu validam eſſe jam oſtendo.

228 Secundò principiliter oſtendo neque in ſecundo ſenſu aſſignato num. 185. ex ſola, & præciſa Dei operatione in creaturas ejus intimam præſentiam in creaturis evidenter, & immediatè colligi à poſteriori, nam præſentia ægentis in loco, in quo agere debet, aut indiſtantia à paſo, in quod agere debet, aut ab effectu producendo, non eſt conditio neceſsariò, & ſimpliciter prærequiſita ad agendum, quia abſolutè fieri poteſt actio in diſtans etiam ab agente creato, & limitato, ut ex profeſſo oſtendi diſp. 7. Phyſ. q. 4. artic. 3. ergo tanto magis ab agente infinito. Quod adhuc amplius oſtendo, vel enim hæc eſſet conditio neceſſaria, ſimpliciter ex parte effectus, vel ex parte actionis, vel ex parte ipſius agentis, non ex parte effectus, nam effectus dicit tantum dependentiam ab agente, quatenus ab eo recipit ſuum eſſe, poteſt autem ab eo accipere eſſe abſque quod ſit ei intimè, & ſubſtantialiter loco coniunctus, præſertim cum hic ſit ſermo de effectu cauſæ efficientis, quæ cum ex ſuo genere ſit cauſa extrinſeca, non petit eſſe ſuo effectui intrinſeca ullo genere illapſus, undè in ſententia quamplurium Thomiſtarum poteſt cauſa inſtrumentalis obedientialiter influere in effectum loco diſtantem: Nèque talis conditionis neceſſitas ex parte ipſius actionis attendi poteſt, quandoquidem actio non eſt niſi via ad communicandum eſſe effectui, & ſi actio eſt tranſiens, ut eſt de qua loquimur, eſt extrinſeca agenti, & ſoli paſſo intrinſeca apud illos, & in noſtra ſententia actio ſumpta pro cauſalitate in ordine ad effectum eſt reſpectus intrinſecus adveniens, quod ſuaptenatura reſultat inter extrema in quacunque ſint diſtantia ergo ſivè agens ſit propinquum, ſive diſtans non impedit rationem actionis, ut ſic. Nec tandem ex parte agentis, quia cauſa efficiens, ut dicebam, ex ſuo genere eſt cauſa extrinſeca, quæ non ſeipſam communicat per intimam exhibitionem effectui, ut evenit in cauſa materiali, & formali, ſed dat eſſe à ſe diſtinctum, & ſeiunctum. Tùm quia ſi talis conditio eſſet neceſſaria ex parte agentis ſequeretur agens corporeum actionem habere non poſſe, niſi circa extimam ſuperficiem paſſi, nam per ſuam entitatem nequit niſi tali ſuperficiei eſſe præſens, cum contactus phyſicus non ſe ulterius extendat ob impenetrationem dimenſionum. Dices qualitatem ab agente productam in extima paſſi ſuperficie peruadere quoque partes paſſi interiores. Contrà, quia cum talis qualitas ſit corporea, & non ſpiritualis, non videtur quomodo per penetrationem dimenſionum poſſit ſe ſe in intimiores paſſi partes inſinuare, quod ſi in extima ſuperficie manens poteſt adhuc agere in partes paſſi profundas, jam conceditur actio in diſtans; Tùm quia falſum eſt ſolum accidens, quod tantum per medium ad profundiores paſſi partes ponitur, diffundi, poſſe in eis producere formam ſubſtantialem ſine actuali concurſu ſubſtantiæ, ut ait hic Doctor 1. q. 37. & nos probavimus q. 8. Phyſ. q. 6. a. 2.

229 Deinde ſi talis præſentia, ac indiſtantia neceſſaria eſt ex parte agentis, vel attendenda eſt ex parte agentis, ut creati, & limitati, vel ut increati, & infiniti, vel agentis ut ſic prout ab utroque præſcindit; quod modò refutatum eſt, non primum, quia etiam agens creatum poteſt agere in diſtans, ut oſtendi diſp. 7. Phyſ. q. 4. cit. tum quia ſaltem talis intima præſentia, qualis eſt illa, de qua hic eſt ſermo, per illapſum etiam in intimiores paſſi partes, non eſt agenti creato poſſibilis; Tùm tandem quia qualiſcunque præſentia eſſet agenti creato neceſſaria ad agendum, non hinc ſequitur fore quoque neceſſariam agenti infinito, ſi enim nullum agens corporeum operari poteſt, niſi in corpus ſibi coniunctum, aut virtute derivata per ſpatium continuatum, dicendum eſſet provenire ex limitato, & imperfecto modo agendi, ac proinde talis indiſtantia agenti infinitæ virtutis neceſſaria non foret; ac per conſequens ex eo, quod operetur, vel operari poſſit in omnibus rebus, non benè infertur eſſe in illis præſentem. Neque hæc neceſſitas attendenda eſt ex parte agentis, ut infiniti, quia minor apparet neceſſitas talis indiſtantiæ agentis à paſſo, vel ab effectu in agente infinito, quam finito, quod enim agentia creata regulariter non operentur immediatè, niſi in propinquum, eſt, quia Deus voluit juxtà eorum virtutem limitatam, quod haberent certam ſphęram activitatis protenſę ab ipſo agente uſq; ad certum terminum, in qua etiam operarentur non diſcretè, ſed continuè, ne permiſcerentur, aut confunderentur actiones diverſorum agentium; at agens infinitum nullam habet ſphæram activitatis ſuæ determinatam, neque neceſſitatem agendi per eam diſcretè, vel continuè, ergo &c. Tùm quia diſtantia ideò ſæpius eſt impedimento agenti creato ad ſuum effectum producendum, quia tantam ſphæram habet ſuæ activitatis, non ampliorem, atque ideò eam diſtantiam ſuperare non poteſt, at virtus infinita, & illimitata non impeditur à conditionibus ſpatij, & omnem diſtantiam inter ipſam, & effectum intercedentem ſuperare poteſt, ergo &c. Tùm quia neceſſitas talis indiſtantiæ infinitati Dei derogare videtur, eſſe enim agens ex vi actionis coactum agere ſolùm in propinquum, videtur dicere limitationem quandam, ſicut igitur in agendo Deus non eſt limitatus ad ullum genus objecti, vel ſubjecti, ſed poteſt quodcunque ex quocunque dummodò non ſit repugnantia, ac etiam ex nihilo producere; ita non debet habere ullam limitationem applicationis ſuppoſiti itaut, non poſſit agere in quacunque diſtantia. Et hæc eſt ratio Scoti 1. q. 37. cum ait, quod cum omnipotentia, quæ eſt ſimpliciter potentia perfecta activa, non requirat actionem in unum paſſum priùs, quàm in aliud, nec propter diverſas potentias concurrentes in agente, nec propter priorem generationem imperfectioris, ſequitur quòd talis potentia ſit ratio agendi etiam in diſtans, adeò quòd ſi omnipotens eſſet per impoſſibile in aliquo loco determinato, & non utique poſſet in quacunque diſtantia agere, quia virtus infinita, & illimitata non pendet in agendo nec à conditionibus ſpatii, nec ab aliis perfectionibus, à quibus pendet virtus finita, & limitata.

230 Reſpondet Suarez d. 30. met. ſect. 7. n. 12. eam conditionem non eſſe neceſſariam ex parte agentis creati, vel increati, ut ſic ſed ex parte agentis, ut ſic, ut à creato, & increato pręſcindit; quod probat ex paritate aliarum cauſarum, quia omnes aliæ cauſæ, ut cauſent, debent eſſe effectui localiter præſentes, ut patet de materia, & forma; finis quoque licèt ſit cauſa extrinſeca, eſt tamen præſens ſaltem intentionaliter, ergo etiam efficiens, ut ſic, debet eſſe paſſo, vel effectui propinqua, probat etiam retorquendo rationem, nam ſi cauſa efficiens, ut ſic, non poſtulat hanc coniunctionem cum effectu, eo quia eſt cauſa efficiens; ergo ſi fingamus eſſe cauſam infinitæ virtutis in definito loco, illa poſſet immediatè agere in diſtans, nihil agendo in propinquum, quia nihil eſt, quod obſtet. Hæc evaſio frivola eſt, imo & retorqueri poteſt, quia materia, & forma ſunt cauſæ intrinſecę, quæ ſuum effectum cauſant per intimam ſuæ entitatis pręſentiam, & exibitionem, at efficiens eſt cauſa extrinſeca, quę ſeipſam non communicat effectui, ſed communicat eſſe diſtinctum, & à ſe ſejunctum; finis verè licèt ſit cauſa extrinſeca, attamen ut moveat appetitum, debet eſſe applicatus per cognitionem, at efficiens eſt cauſa extrinſeca, nec aliud, ut cauſet, requirit, niſi applicationem virtutis, quę ſolùm arguit contactum virtualem, non phyſicum, ac entitativum. Dices, agens eſt actus paſſi; actus autem, ut perficiat paſſum, debet eſſe indiſtans ab illo. Contrà, quia agens eſt actus paſſi, non formalis, qui ſolus requirit indiſtantiam paſſi, ſed effectivus, qui per ſe talem indiſtantiam non requirit, niſi fortè ex peculiari ratione talis agentis, retorſio autem illa noſtræ rationis eſt ridicula, nam eſt ipſiſſimum Scoti argumentum, undè quod arguens deducit tanquam inconveniens ex illa hypotheſi impoſſibili, nos deducimus tanquam neceſſariam veritatem. Demum falſum eſt etiam, quòd ibi ait, agere in diſtans non dicere perfectionem ſimpliciter; nam agere in tantam diſtantiam dicit perfectiorem, agere in ampliorem dicit majorem, ergo agere in infinitam dicit perfectionem infinitam, & ſimpliciter.

Reſpondent alii eſſe neceſſariam illam conditionem ex parte agentis Dei, non utcunque, ſed adjunctis propriis conditionibus Dei in agendo, nam indè ſequitur agere infinita virtute, & conſequenter eſſe ubi operatur; Sed hanc reſponſionem ipſe quoque Suarez reiicit loc. cit. n. 7. nam in primis divertit ab intentione propoſita, quia non demonſtrat ubiquitatem Dei ex operatione, ſed ex infinitate. Deinde hæc ultima conſequentia non eſt formalis, & per locum ab intrinſeco, ſed materialis, & per locum à connexis, ſivè concomitantibus, quatenus ens infinitæ virtutis debet quoque eſſe immenſum, quia unum attributum in tali ente aliud infert per locum à concomitantibus; quare Tannerus d. 2. q. 4. dub. 3. utens hac reſponſione, non loquitur conſequenter ad intentum D. Th.

231 Reſpondent alii hanc conditionem eſſe neceſſariam ex parte agentis ut infiniti, & perfectiſſimi, agens enim eo perfectius agit, quo pluribus modis effectum habet in ſua poteſtate, prout habet quando non ſolum ratione virtutis commenſuratæ effectui, vel ſupereminentis, ſed etiam ratione præſentiæ dominium habet in effectum, quam ſolutionem ipſe quoque Suarez innuit loc. cit. n. 18. quod alii amplius ſic declarare nituntur, agere per præſentiam ſublata omni imperfectione eſt perfectior modus agendi, quàm agere per abſentiam; ergo primum de facto convenit Deo, non ſecundum; dicunt ſublata imperfectione, quia ſuppoſita limitatione, & finitate agentis, non eſt dubium, quòd meliùs eſſet poſſe agere etiam in diſtans, cum enim agens finitum non poſſit eſſe præſens, niſi uni loco finito, & determinato, ſi non poteſt agere, niſi in propinquum, activitas, & actio ipſius eſt valdè finita, & limitata, quia habet parvam ſphæram, ut de facto contingit in agentibus naturalibus

talibus quare agenti finito melius eſſet poſſe agere etiam in diſtans, quia ſic haberet majorem ſphæram activitatis; at agenti infinito, qui nullam habet certam, & definitam ſphęram activitatis, ſed poteſt agere in quacunque diſtantia, melius proculdubio eſt agere ità in omnia, ut ſit illis præſens, quam agere in diſtans, ergo ex modo agendi perfectiſſimo, qui tribuendus eſt de facto Deo, cum nullum obſtet incommodum, rectè colligitur neceſſitas illius conditionis ex parte agentis, ut perfectiſſimi. Alii apud Amicum cit. id explicant exemplo Regis creati, cujus potentia, & imperium moraliter ſolùm, & non phyſicè in totum regnum ſe extendit; perfectius autem eſſet ejus imperium, ſi non tantùm moraliter, ſed etiam phyſicè ſe extenderet in totum regnum; & ſingulas ipſius partes; cum igitur Deus perfectiſſimum habeat imperium in omnes creaturas, eoque perfectius ſit imperium, quo propinquiùs, & intimius attingit rem ipſam, & effectum imperatum ejus perfectiſſimo imperio in res omnes, rectè colligitur neceſſitas illius conditionis in agendo, & ipſius præſentia in rebus omnibus.

232 Sed neque hæc ſolutio ſatisfacit, primò quia rationes ab Aduerſariis inductæ procedunt æqualiter de omni agente tam perfecto, quam imperfecto: Deindè, cum dicitur agens eò perfectius agere, quo pluribus modis habet effectum in ſua poteſtate, & dominio, ſi hoc intelligatur de poteſtate, & dominio morali, hoc planè impertinens eſt ad phyſicam actionem, de qua eſt ſermo, non enim quia quis poſſidet agrum, vel domum, poteſt agrum creare, vel domum ędificare; ſi verò de poteſtate phyſica intelligatur: utique verum eſt; ſed falſum eſt per indiſtantiam habere cauſam majus dominium ſuper effectum, vel habere effectum magis in poteſtate ſua, quia non dicimus agens infinitę virtutis æquale dominium habere ſuper effectum ſive in majori, ſivè in minori diſtantia, quia in agendo non dependet ab hujuſmodi conditione, ſicut pendet virtus finita, & limitata; Tùm quia hoc eſt, quod quæritur in præſenti, an indiſtantia ponat effectus in majori poteſtate agentis infiniti, & nos id negamus, undè aſſerere, quod agens infinitum habeat illum in majori poteſtate per majorem propinquitatem, eſt manifeſta petitio principii; Tùm quia illud agens perfectius continet effectum in ſua poteſtate, quod paucioribus indiget ad illum ponendum; ſi ergo agens iufinitum ad ponendum effectum indiget conditione propinquitatis, qua non ſemper eget agens finitum, & limitatum, ergo hoc agens perfectius habet effectum in ſua poteſtate, quam illud; quare ratio illa eſt ad oppoſitum, & potius concludit agens perfectiſſimum in ſua actione ab ea conditione abſolvi debere, ſi illa non requiritur ad actionem imperfectioris agentis. Tùm quia perfectiſſimum Dei dominium ſuper res creatas conſiſtit in hoc, quod poſſit illis uti, prout vult; at hoc poteſt facere Deus etiam ſi non eſſet illis intimè præſens ob infinitatem ſuæ virtutis, quam ex hypotheſi ſupponimus retinere independenter à tali intima præſentia, ergo &c. Hinc patet illas duas declarationes parum valere, prima quidem non ſufficit, quia in toto genere præſcindendo ab agente finito, & infinito perfectius eſt agere in remotum, quam in propinquum, nam illud indicat majorem eſſe ſphæram activitatis agentis, undè primum videtur aptius conuenire Deo, quam ſecundum, nam ut ſupra vrgebam, agens ex vi actionis cogi agere ſolùm in propinquum videtur dicere limitationem quandam. Nec magis idonea eſt ſecunda declaratio, cùm ſit manifeſta diſparitas de Deo, & de Rege creato, ut benè notauit Amicus loc. ci. quoniam dominium Regis, ut potè limitatum non ſe extendit ad res diſtantes eas cognoſcendo, diſponendo, ac dirigendo, & ideò perfectius eſſet, ſi non tantùm per ſuos miniſtros, ſed etiam per ſeipſum ſe extenderet phyſicè in ſingulas regni partes, at dominium Dei etiam abſque pręſentia locali perfectiſſimo modo ſe extenderet ad res omnes loco diſtantes de illis diſponendo perinde ac ſi eis foret intimè præſens, cùm ſupponatur eſſe infinitæ virtutis independenter à tali præſentia.

233 Reſpond. Caiet. talem conditionalem à Scoto poſitam includere repugnantiam; quia quod ſit omnipotens, & aliquo certo ſitu comprehendatur, non ſtant ſimul, quia ex omnipotentia poteſt agere in quodcunque ubicunq; ex eo vero, quod eſſet in certo ſitu relegatus, non poſſet, niſi in proximum paſſum, quia hoc ſpectat ad rationem agentis limitati ſitualiter. Contrà, quia ratio ob quam agens non poteſt agere in remotum, niſi prius agat in propinquum, non prouenit ex determinato ſitu, ſiuè ex limitatione ſituali agentis, ut ait Caiet. ſed ex concurſu duarum potentiarum ſubordinatarum in eodem agente; quarum vna habet pro paſſo proportionato propinquum, & alia remotum, ut ait Doctor 1. d. 37. aut ex imperfectione potentiæ activæ non potentis producere perfectius, niſi procedendo de imperfectiori ad perfectius; ergo Deus in quo non reperiuntur hujuſmodi imperfectiones, & impedimenta, ſed habet perfectiſſimam potentiam activam, poterit agere in diſtans à ſe, quin agat in propinquum; probatur aſſumptum, quia ponendo impedimentum provenire ex tali limitatione ſituali committitur in præfata reſponſione manifeſta petitio principii; hic enim quæritur, an agens in certo loco exiſtens poſſit agere in diſtans, & nos dicimus, quod ſic, quia ad agendum ſufficit contactus virtualis, nec eſt neceſſarius localis, vel mathematicus & Caiet. reſpondet non poſſe agere in diſtans ob limitationem ſitualem .i. quia eſt certo ſitu concluſus, quarè cum reſpondeat per id, quod eſt in controverſia, patentem committit principii petitionem. Tùm quia quod agens creatum ultra ſuam ſphæram agere nequeat in diſtans non provenit ex limitatione ſituali, ſed ex limitatione virtutis; ergo ponendo Deum in certo loco, puta in Celo, ut poſuit Ariſ. 6. Phyſ. 84. 1. de Cęlo c. 9. & tex. 22. & lib. 2. tex. 66. & cum hoc etiam eſſe infinitæ virtutis, adhuc agere poſſet in omnia hæc inferiora, & hæc revera fuit opinio Ariſt. lib. ad Alexandrum cum enim retuliſſet, veteres Philoſophos ſenſiſſe Deum in rebus omnibus eſſe, ob hanc ipſam rationem, quod omnia efficiat, & conſeruet, ſubjungit, divinę excellentiæ magis convenire, ut in uno, ac ſupremo loco reſidens omnia indè conficiat; Et quamuis Ariſ. in hoc dicto erraverit, quia Deus ubique reperitur, tamen ex hoc convincitur conditionalem à Scoto poſitam an. ſ. ſi Deus eſſet in certo loco, & adhuc infinitæ virtutis, poſſet agere in diſtans, non repugnare per locum ab intrinſeco, quaſi immediatè, & per conſequentiam formalem ex limitatione ſituali oriatur limitatio virtutis, & ex illimitatione virtutis ac operatione in omnibus ſequatur immenſitas, & præſentia in omnibus, nam hujuſmodi illimitationes non ſunt inter ſe connexæ formaliter, ſeù ex earum ratione formali, ſed ſunt connexę materaliter ratione identitatis realis, quam inter ſe habent in ente infinito; & ideò Ariſ. abſque ulla contradictione ab intrinſeco proveniente conceſſit Deum poſſe agere in diſtans etiamſi determinatum ſibi vendicet locum, quam conſequentiam, ut non implicantem in terminis ex primaria eorum intelligentia conceſſit etiam ipſe D. Thomas quol. ii. q. 1. art. ad 4. dicens *ſi Deus non eſſet ubique nihilominus gubernaret omnia providentia*, quem locum valdè laborant explicare Thomiſtæ; licèt ergo conditionalis à Scoto poſita pro hac veritate explicanda includat contradictionem per locum ab extrinſeco, tamen quia non repugnat per locum ab intrinſeco, poteſt, ac debet admitti, ſicut aliæ paſſim admittuntur ad inveniendas rerum formalitates, ut illa ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio, num diſtingueretur ab eo, quæ admittitur ab omnibus, ut inveniatur formale diſtinctivum Filii à Spiritu Sancto. Imo ut conditionalis illa admittatur ſine minori ſcrupulo, fingere poſſumus Deum poſſe quidèm eſſe in omnibus locis, tamen de facto nolle eſſe, niſi in aliquo definito loco, in quo caſu limitatio ad certum locum non videretur dicere imperfectionem in Deo, quia non eſt ex neceſſitate, ſed ex libertate; in hoc inquam caſu multò major perfectio eſſet operari in res à ſe diſtantes quàm, ut operetur, indigere approximatione vel ſui ipſius ad res, vel rerum ad ſeipſum.

Deindè probo limitationem ſitualem non impedire, quin agens certo loco concluſum poſſit agere, ubi non eſt localiter, quia Angelus verb. gratia pro ſphæra ſibi adæquata poteſt habere totam hanc ſcolam, nec tamen totam eam occupare, ſed partem, & tamen exiſtens tantùm in una extremitate hujus ſcholæ poteſt agere in aliam extremitatem, & æquè benè, ſicut in partes ipſas contiguas extremitati ſcholæ, quam occupat; neque diſtantia intermedia ullum affert impedimentum, nam ejus virtuti non cenſetur diſtans alia extremitas, ubi non eſt localiter, ſed propinqua, non quidem localiter, ſed virtualiter, nam intrà ſphæram activitatis ſuæ ita continetur extremitas ſcolæ, ubi non eſt Angelus, ſicut illa, ubi eſt; ergo actio agentis metiri non debet ex ejus exiſtentia, vel limitatione locali, ſed ex majori, vel minori limitatione virtutis; ergo ſuppoſito quod Deus ſit definitè in Cœlo, & adhuc infinitæ virtutis, poterit etiam agere in hæc inferiora, ſicut Angelus ex eo quod habet hanc ſcholam pro ſua ſphæra adæquata etiam ſi localiter ſit in uno tantùm angulo, poteſt in totam ſcholam agere. Ex his patet, quam inſipienter Scoto adſcripſerint quidam, quod poſuerit Deum certo loco concluſum, & indè poſſe operari ubique ex hoc, quod in argumento ſolvit illam conditionalem, *ſi omnipotens eſſet per impoſſibile in aliquo loco determinato*, quaſi loqui conditionaliter ſit abſolutè rem aſſerere. 234

Reſ-

Reſpondet aliter Faſolus quæſt. 8. citat. art. primo dub. 4. num. 30. & 31. admiſſa ea conditionali, quod Deus eſſet in certo loco ve. g. in Cœlo, & adhuc infinitæ virtutis, adhuc negandum eſſe, quod poſſet agere in terram, quia neceſſitas agendi per modum propinquum in remotum non oritur ex finitate virtutis, nam ſi ita eſſet, ſequeretur, quod ſicut in omnibus agentibus creatis non eſt æqualis virtus finita; ita non deberet eſſe æqualis prædicta neceſſitas; at videmus omnia æqualiter indigere eadem immediata propinquitate, ac indiſtantia, non minus enim ſol, quam lucerna interpoſito corpore opaco impeditur à tranſmiſſione luminis in ulteriorem ſphæram ſuam; ergò ſignum eſt eam neceſſitatem aliundè oriri, quam ex imperfectione, & finitate agentis, alioquin
184 prædicta neceſſitas non deberet eſſe æqualis; ſicut de facto, quia finitas determinatæ ſphæræ, quam omnia agentia creata habent, fundatur in virtute finita agentium, prout inæquales ſunt eorum virtutes activæ, ſunt pariter inæquales ſphæræ activitatis; quam reſponſionem, & inſtantiam attulit etiam Suarez diſput. 30. cit num. 12. At neque hæc ſolutio eſt melior aliis, falſum enim eſt omnia æqualiter indigere eadem immediata propinquitate, atque indiſtantia, quamvis enim hoc interdum accidat in quibuſdam agentibus, quæ potentia, & actione ejuſdem rationis agunt in propinquum, & in remotum, quale eſt exemplum adductum de Sole, & Lucerna, non tamen ſic eſt in omnibus, nam ſubſtantia ſivè cæleſtis, ſivè ſublunaris per propriam formam ſubſtantialem generat aliam ſubſtantiam in ſubjecto diſtanti, ut cum Sol generat mineram in viſceribus terræ, & ignis ſtuppam comburit non media aliqua virtute diffuſa, quia accidens nequit producere ſubſtantiam; Nec valet dicere hæc agentia non poſſe hos effectus producere, niſi prius aliqua potentia, vel actione alterius rationis egerint in propinquum. Nam, ut notat Doctor 1. d. 37. citat. hoc accidit in agente creato, non ex ratione intrinſeca agentis, vel actionis, ſed vel ex coniunctione duarum potentiarum activarum in eodem, quarum una habet pro paſſo ſibi proportionato rem propinquam, alia verò remotam; ſicut in Sole accidit, qui per illuminativam agit in medium ſibi propinquum, per generativam verò in remotum producendo ranas in terra, & mineralia in viſceribus terræ, vel accidit ex imperfectione agentis, in quo eſt defectus virtutis activę, ob quem defectum prius agit ſecundum formam imperfectiorem, quam ſecundum perfectiorem, ſicut generans corruptibile prius alterat, quam generet, ut ignis, qui prius calefacit lignum, quam ex eo generet ignem; Neque actio illa prævia, qua paſſum alterat, facit, ut agens propriè in diſtans agere non dicatur, hoc enim ei accidit ex imperfectione prædicta, undè ſi à Deo applicaretur ſubjectum ultimò diſpoſitum illi agenti, ſtatim ageret generando ſine prævia alteratione. Tùm quia ſunt etiam quædam agentia, quæ ſine ulla prævia prorſus actione in medio ſivè ejuſdem, ſivè alterius rationis, immediatè agunt in remotum, ut conſtat de attractione ferri à magnete, quæ non impeditur etiam a corpore ſolido interpoſito, ut impeditur Solis illuminatio; nam ſi magnes ſubtus lapidem exiſtat, ferrum verò ſuper lapidem, experientia compertum eſt ferrum ſuprà lapidem moveri ad motum magnetis in inferiori parte exiſtentis, de quo, & ſimilibus effectibus ſatis dictum eſt diſput. 7. Phyſ. quæſt. 4. artic. 3. Scio Adverſarios ad has, & ſimiles experientias reſpondere ſolere agentia, quæ videntur immediatè agere in remotum, ſemper etiam aliquid agere in propinquum, etiamſi neſciamus quid illud ſit, & ſic quoque magnetem aliquid occultum agere in aerem, vel corpus ſolidum medium inter ipſam, & ferrum, licèt non eundem effectum, quem agit in magnetem, quia non illa attrahit. Quam reſponſionem ſemper riſu dignam cenſui, nam ſi in his agentibus, & actionibus non experiuntur effectum aliquem in medio, quomodo ab experientia univerſali in agentibus creatis jactant ſe probare non fieri actionem in diſtans; oſtendant prius hujuſmodi effectum prævium in medio productum, & poſteà jactent ſe univerſalem experientiam habere. Tùm quia ſic reſpondendo admittunt ſaltem aliquam actionem v. g. attractionem in caſu noſtro in remotum, quæ non ſit in propinquum; ergo immediatio paſſi non eſt de ratione actionis, ut ſic.

Ex hactenus dictis conſtat diſcurſum D. Thomæ, quo ex operatione Dei in rebus deducebat ejus præſentiam per eſſentiam, non tenere per conſequentiam formalem, & ab intrinſeco, nec à priori, veluti nempè effectum formalem à ſua ratione formali, vel fundamentali, ut dicunt Thomiſtæ ex familia Dominicana, nec à poſteriori, tanquam demonſtrationem conditionis per effectum ab illa neceſſatiò pendentem. Hinc Faſolus cit. dub. 2. videns rationem D. Thomæ per unam, vel alteram iſtarum viarum ſignatè procedendo non benè defendi; utrumque modum amplectendo dicit diſcurſum D. Thomæ procedere partim à priori, partim à poſteriori, ſecundum quod aſſumuntur variæ operationes Dei ad inferendā illius præſentiam in rebus, quędam enim operationes divinæ ſunt natura prius præſentia actuali, quædam verò poſteriores; nam omnis Dei operatio, ut formaliter productiva de novo rei eſt ſecundum naturam prior præſentia actuali Dei ad rem productā, nā præſentia præſupponit actualiter terminum, cui Deus fiat præſens; operatio verò Dei, ut formaliter conſervativa, ſicut præſupponit productionem, & exiſtentiam rei ſimpliciter, ita quoque & actualem Dei præſentiam ad rem illam, antequam illa res conſervari intelligatur. Cęterum, cùm ſigillatim, & ſejunctim jam probatum ſit contra veros Thomiſtas diſcurſum D. Thomæ non benè procedere à priori, & deindè contra Recentiores nec etiam ritè procedere à poſteriori, conſequenter ſimul ruit uterque modus illum defedendi ita ut nec teneat à priori in àctione primò productiva rei nec in actione conſervativa à peſteriori.

ARTICULUS TERTIUS.

Objectiones ſolutæ.

IN oppoſitum Primò obiiciunt quamplura Scripturæ, & Patrum teſtimonia, quibus ex operatione Dei præſentia ejus per eſſentiam concluditur, & inter alia luculentiſſimum eſt illud Actorum 17. ubi Paulus contra Philoſophos Athenienſes concludit *Deum non longè eſſe ab unoquoque noſtrum*, quia *in ipſo vivimus, movemur, & ſumus*, & D. Hyeronimus in c. 66. Iſaiæ ait Apoſtolum illis verbis voluiſſe convincere Judaicum errorem, qui putabant inviſibilem, & incomprænhenſibilem Deum templo Jeruſalem concludi poſſe. Reſpondent Recentiores quamplures ad hanc præſertim auctoritatem non eſſe id intelligendum de preſentia Dei reali, & per eſſentiam, ſed de objectiva, & per cognitionem, ita ut nolit Paulus ex operatione Dei in nobis, probare Deum eſſe realiter in nobis; ſed poſſe nos ſufficienter in cognitienem illius devenire, etenim Apoſtolus concionem illam habuit occaſione illius inſcriptionis *ignoto Deo*, & ſtatim ſubdit, *quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis*, & paulò poſt addit, quod ad eandem cognitionem ſpectat *quærere Deum, ſi fortè attrectent eum. aut inveniat*, undè patet illa verba ex ipſo contextu rationabiliter poſſe intelligi de non eſſe longè per cognitionem, quam de Deo habere facilè poſſumus, vel ex nobis ipſis propter ea, quæ in unoquoq; noſtrum operatur, ita Vaſquez cit. diſp. 28. c. 4. Lorin. in c. 17. Actorum Smiſingh. Brancaſ. & alii paſſim. 236

Sed inſtat Faſolus cit. dub. 4. quod licèt hæc explicatio ſit vera, tamen eſt diminuta; duo enim ibi Paulus objieit Athenienſibus alterum, quod verum Deum ignorarent, alterum quod putarent Deum indigere templis ad inhabitandum, quod ſecundum expreſsè patet illis verbis *Deus Cœli, & Terræ cum ſit Dominus, non in manufactis templis habitat*, ergo non ſolum intendit Apoſtolus ex Dei operatione in nobis, poſſe nos illum ſufficienter cognoſcere, ſed etiam poſſe cognoſcere, quod ſit unicuique noſtrum realiter præſens, juxtà quem ſenſum ita quoque explicuit Apoſtoli argumentum nedùm Hyeron. cit. ſed etiam Ambroſ. lib. de conditione dignitatis humanæ c. 2. ab initio, & Theod. in illud pſal. 138. *Quo ibo à ſpirito tuo, &c.*

Reſpondent proindè noſtri ad hæc, & ſimilia loca intelligendo illa de præſentia Dei reali, & ſecundum eſſentiam, tenere argumentum non per locum ab intrinſeco, quaſi immenſitas, & ubiquitas inferatur per ſe & immediatè ex potentia, & operatione illimitata, ſed per locum ab extrinſeco à concomitantibus, & connexis, hoc modo. Deus operatur in omnibus, tanquam omnipotens, ergo erit in omnibus, tanquam immenſus, conſequentia patet per locum à connexis in re infinita; cùm enim Deus ſit ens infinitum in toto genere entis, ſi eſt infinitus quoad præſentiam per operationem, erit quoque infinitus quoad præſentiam, per eſſentiam; ſicut ſimile argumentum ex concomitantibus foret iſtud, Deus eſt infinitè potens; ergo & infinitè ſciens, Deus eſt infinitus duratione, ergo & præſentia, quia in ente infinito non apparet ratio limitandi magis unam, quàm alteram perfectionem; ita reſpondent Smiſing. Vulpes, & alii Scotiſtæ. Sed hanc quoque reſponſionem rejicit Faſolus loc. cit. nam Scripturæ, 237

&

& Patris nullam mentionem faciunt infinitatis in qua fundetur prædicta paritas, ſed ſemper præcisè ex ſola præſtantia, & natura actionis divinæ deducitur præſentiæ divinæ ſubſtantiæ; ergo etſi efficax ſit argumentum à paritate ſic factum per locum à concomitantibus, & ab infinitate, tamen Patres non ſumunt pro medio infinitatem ad inferendam ubiquitatem, ſed actionem divinam præcisè. Et ego adhuc efficacjus urgeo, quia cum per locum à concomitantibus indifferenter poſſit unum attributum ex alio inferri ratione infinitatis, non apparet cur ſcriptura, & Patres potiùs ex operatione Dei ſemper inferant ejus præſentiam, quam è contrà; declarandum ergo eſt cur efficaciùs ex operatione Dei deducatur ejus præſentia, quàm è contrà, quia ex data reſponſione hoc non declaratur, cum ex ratione infinitatis non magis præſentia deducatur ex operatione, quàm è contrà. Addendum ergo eſt conſequentiam illam tenere utique per locum ab extrinſeco, non tantùm à concomitantibus, ſed etiam à cauſa efficiente, quia relatio præſentiæ Dei in rebus pendet ab ejus operatione, non quidem tanquam à ratione formali, vel fundamentali ubiquitatis, ut dicebant Thomiſtæ, tunc enim eſſet conſequentia per locum ab intrinſeco, ſed tanquam à cauſa efficiente rem, ad quam terminari debet neceſſario divina præſentia, quo pacto præſentia per operationem non dependet à præſentia per eſſentiam, ut dictum eſt n.186. & ideò efficacius ex operatione deducitur præſentia, quàm è contrà; eſt ergo neceſſaria hæc conſequentia, Deus operatur hic, ergo eſt hic præſens per eſſentiam, non tantùm per locum à concomitantibus, ſed etiam per locum à cauſam efficiente, & per hanc explicationem ſalvatur ſufficienter modus arguendi quo Patres, & Scripturæ utuntur ad probandam Dei præſentiam in rebus ex operatione; Et quod talis ſit ſenſus Patrum colligitur ex Anſel. in Monol. c.21. ubi ſic loquitur. *Sed quia aliquid ſine neque uſquam, neque unquam eſt, neceſſe eſt illum eſſe ubique & ſemper*, ubi ut vides immenſitatem ipſam adducit, ut rationem formalem, qua Deus eſt ubique, omnipotentiam verò, tanquam cauſam efficientem, quatenus non poteſt Deus creare aliquid quin ſtatim illi ſit pręſens neceſſariò ob ejus immenſitaté, cum eſſentia divina naturaliter, & non liberè ſit immenſa.

238 Secundò obijcitur ex principio Ariſt. 7. Phyſ. 10. & 13. & 1 de gen. 43. & 48. alibi frequenter, quòd agens, & paſſum debent eſſe ſimul; cùm ergo Deus ſit intimum agens, & omnium creaturarum per conſervationem, ergò debet eſſe intimè pręſens omnibus creaturis. Reſp. hanc auctoritatem plus probare, quam velint Adverſarii, probaret enim, quod etiam agentia creata deberent eſſe præſentia non ſolum ſecundum virtutem, aut contactum mathematicum in extremitatibus cum paſſo, ſed etiam intimè compenetrata; dicendum ergo propoſitionem Ariſt. veritatem habere in omnibus agentibus, itaut ſemper ſit aliqua ſimultas, & contactus inter agens, & paſſum, aliquo modo, ſaltem virtualis; non tamen ex vi actionis opus eſt, quod ſemper ſit mathematicus in corporibus, aut entitatiuus, in ſpiritibus ſed interdum aliundè id provenit; quantùm enim eſt ex vi actionis ſufficit contactus virtualis, non quòd virtus agentis debeat diffundi neceſſariò continuè per totam ſphęram ſuę activitatis; ſed ſufficit quòd ſit in agente, nam paſſum ſufficienter intelligitur virtuti agentis conjunctum, atque ſubjectum, ſi intrà ſphæram activitatis ejus exiſtat; & ſic Ariſt. axioma ſufficienter explicatur per indiſtantiam ſaltem, & præſentiam virtualem, quantùm eſt ex vi actionis, & applicationis virtutis agentis ad paſſum; aliundè tamen per accidens intervenire poteſt major ſimultas, vel ex imperfectione agentis, quod ſuaptè natura non poteſt agere in remotum, niſi per propinquum ex cauſis aſſignatis num. 192. aut ex ordine univerſi, ratione cuius corpora ſunt continua vel contigua adinvicem, ut ait Ariſt. 1. Meteor. *oportet mundum inferiorem ſuperioribus illationibus contiguum eſſe* ratione cujus contiguitatis opus eſt agens naturale ſuos influxus communicare longinquis per viciniora; vel poteſt etiam contingere ex infinita agentis perfectione, ut accidit in Deo, qui neceſſariò eſſe debet, ubi operatur, & intimè præſens paſſo, quia ratione ſuæ immenſitatis omnia replet, hoc tamen non provenit ex ratione formali actionis, ut ſic, cui repugnet fieri in diſtans, nam ei ſufficit, ut præſentia virtuali duntaxat attingat paſſum, & virtualiter ſit ibi, ubi operatur.

Tertiò obijcitur ratio præcipua D. Thomæ p.1. qu.8. art.1. & 1. d.37. q.1. art.1. & q.2. art.1. & 3. contra Gentes cap. 68. quam noſtri non adducunt, vel ſatis mutilatam, & mancam; eam autem affero, ut efformatur à Nazario, & Blaſio de concep. diſp.14. Met. q.1. licet brevius, ut cum toto ſuo appareat robore, illud agens ſpirituales, quod agit immediatè immediatione tàm virtutis, quàm ſuppoſiti, debet eſſe ibi intimè, ubi eſt effectus ſuus, vel ſua operatio, pręſertim ſi ſua actio eſt ſua ſubſtantia, ut evenit in Deo; ſed Deus eſt agens ſpirituale agens immediatè immediatione virtutis, & ſuppoſiti reſpectu cujuslibet creaturæ; ergo Deus ex vi ſuæ actionis debet intimè reperiri in qualibet creatura; major probatur, quia ſi eſt agens immediatè immediatione virtutis, & ſuppoſiti, jam nullum eſt medium ſuppoſitum inter agens, & effectum ſecum coagens, nam immediatio ſuppoſiti dicit negationem medii ſuppoſiti coagentis inter agens, & effectum, ſicut ignis immediatè hoc modo generat ignem, quia inter ignem generantem, ac ignem genitum nullum aliud mediat ſuppoſitum agens ad generationem ignis; & ſi eſt agens ſpirituale, cum nullam in ſe quantitatem habeat, ratione cujus repugnet ſibi ibidem exiſtere, ubi exiſtit effectus ſuus, ſicut repugnat agenti corporeo ratione quantitatis, de facto erit in eodem loco compenetratum cum effectu ſuo ſecundum propriam ſubſtantiam; probatur minor, quia virtus divina non eſt diſtincta à ſubſtantia Dei, ſed eſt ipſe Deus, ergo quotieſcumque Deus agit, non ſolùm agit immediatè immediatione virtutis ſuæ, ſed etiam immediatione ſuæ ſubſtantiæ, ſuique ſuppoſiti; ergo cum effectus Dei in quacunque creatura ſit eſſe, & hoc ſit intimè imbibitum in quacunque creatura Deus erit intimè, & ſemper in quacunque creatura ſecundum propriam ſubſtantiam. Conf. actio eſt in effectu, & ibi, ubi effectus producitur; ergo ſi operatio agentis eſt idem cum agente, ut evenit in Deo, opus eſt agens ſecundum ſuam ſubſtantiam eſſe ubicunque adeſt ejus operatio.

239 Reſpondetur, quod ſi per agere immediatè immediatione ſuppoſiti intelligatur ita, ut agens loco non diſtet à ſuo effectu, quæ apud probatos Auctores dici ſolet immediatio ſuppoſiti in exiſtendo, ſic vera eſt major, ſed tunc negatur minor in hoc ſenſu, quod Deus ex vi ſuæ operationis, ſeù ex neceſſitate ſuæ activæ virtutis debeat ſic operari immediatione ſuppoſiti, nam de facto ſic modò operatur neceſſitate quadam materiali, quatenùs virtus divina eſt realiter immenſitati identificata; ſi enim per impoſſibile eſſet omnipotens, & non immenſus, ſed in certo loco definitus, adhuc cuncta operari poſſet immediatè immediatione virtutis, & non ſuppoſiti ex dictis n.192. ſi verò per agere immediatè immediatione ſuppoſiti intelligatur itaut actio immediatè à tali ſuppoſito prodeat, & per ſe ipſum immediatè agat, ſicut re vera videtur in argumento ſumi, tunc eſt neganda major, non enim ex hoc ſequitur, quòd debeat eſſe immediatè propinquum, & indiſtans à paſſo, nam ignis hoc modò immediatè ſtuppam diſtantem comburit non comburendo aerem interpoſitum, quare in hoc ſenſu dari poteſt actio immediata immediatione ſuppoſiti in diſtans: Et quamvis verum ſit, agens ſpirituale poſſe eſſe intimius præſens rei, in quam agit, quàm corporale, quia quantitate non impeditur, nulla tamen eſt neceſſitas ex vi actionis, ut compenetretur cum illa, poteſt enim Angelus in angulo hujus ſcholæ localiter exiſtens agere in aliam ſcholæ extremitatem, ubi non eſt entitativè præſens, ex hypotheſi, quod totam ſcholam habeat pro ſphæra adæquata actionis ſuæ ex dictis num. 193. & per hoc patet ad integram probationem majoris; Ad probationem verò minoris conceſſo antecedente, & primo conſequente de immediatione ſuppoſiti in ſecundo ſenſu, negatur ultima conſequentia quoad ultimam partem, quando enim agens operatur, & agit, virtus in ipſo ſubjectivè exiſtens, non egreditur ab agente in effectum, ſed per ipſam effectus producitur, nec illa virtus ſecundum rem eſt præſens paſſo, in quod agit, aut effectui; qui producitur, ſed ſolum virtualiter, & terminativè, ſicut Solem eſſe in viſceribus terræ virtualiter, ubi aurum gignit, non eſt virtutem in Sole exiſtentem eſſe ibi formaliter, ac entitativè præſentem, ſed ea virtute ibi attingere effectum, ipſum producendo; Ad Conf. quicquid ſit modò, an actio ſit in agente, vel in paſſo, de quo in Phyſ. determinatum eſt, quod ſit in agente formaliter, & ſubjectivè, in paſſo autem, vel in effectu ſolùm terminativè, diſtinguo antecedens, vel enim ita intelligitur, ut entitas operationis ſit effectui præſens entitativè, & ſecundum rem; & ſic benè ſequitur conſequentia, ſed falſum eſt antecedens, quia actio, & virtus activa hoc modo eſt in agente, non autem in paſſo, vel effectu producto; vel ita intelligitur, ut ſit ibi terminativè ſolùm, quatenus effectus, ad quem operatio terminatur, ibi eſt; ſic verum eſt antecedens, ſed neganda eſt conſequentia.

Quartò objicit idem Blaſius diſput. 14. citat. qu.2. probans cum aliis Thomiſtis Deum exiſtere in rebus ratione ſuæ actionis tranſeuntis formaliter, illud per quod formaliter, & ultimatè determinatur Deus ad exiſtendum in rebus, eſt ratio formalis, per quam formaliter exiſtit in eis; atqui actio tranſiens Dei eſt id, ratione cujus formaliter, & ultimatè de-

terminatur ad exiſtendum in rebus; ergo actio Dei tranſiens debet eſſe ratio formalis exiſtendi in rebus, major patet ex terminis, quia ratio formalis eſt ea, quæ formaliter, & ultimatè determinat ad aliquem effectum formalem; minor etiã patet, quia poſt actionem tranſeuntem Dei nulla eſt alia ratio, per quam ulterius poſſit ad creaturas applicari, & ſic debet eſſe ratio formalis exiſtendi in eis. Tùm 2. quia actio Dei tranſiens eſt id, quo actu tangit contactu ſuo virtuali res omnes, & quo illa ſibi applicat, & ad ſe trahit; ergo debet eſſe id, per quod proximius, & vicinius creaturis conjungitur, & conſequenter debet ei eſſe ratio formalis exiſtendi in eis, & illas ſibi applicandi, atq; uniendi formaliter. Tùm 3. quia Deus non exiſtit actu, & formaliter in rebus, niſi ſecundum quod facit illas à ſe dependere; Deus enim non comparatur actu ad creaturas, nec actu illas connotat, niſi ſecundum quod terminat earum dependentiam à ſe; ergo cùm ultima ratio, per quam Deus facit actu creaturas à ſe dependentes, ſit actio ſua, quia illa eſt, per quam eas ſibi in actu ſubordinat, illa quoque erit, per quam formaliter, & actu exiſtit in eis. Tùm 4. quia immenſitas Dei non magis determinat Deum, quantum eſt ex ſe ad hoc, ut exiſtat in rebus, quæ in præſenti exiſtunt, quàm in aliis, quæ poſſunt, vel potuerunt eſſe; ergo debet dari aliquid aliud, per quod formaliter Deus determinetur ad exiſtendum potius in rebus, quæ de facto exiſtunt, quàm in aliis, & hæc nequit eſſe, niſi actio tranſiens, per quas illas formaliter poſuit in eſſe. Tùm tandem, quia ſi immenſitas eſſet Deo formalis ratio exiſtendi in rebus, debuiſſet Deus ab æterno, & neceſſariò in rebus exiſtere, ſicut immenſitas ei ab æterno convenit, ſtatim enim ac aliqua ratio formalis habetur, ſtatim effectum ſuum formalem communicat; ſed hoc eſt falſum, quia ſicut res non exiſtunt niſi in tempore, ita & in tempore tantùm exiſtit in eis, & non niſi per aliquod ſibi ex tempore adveniens, qualis eſt actio tranſiens, per quam illas in tempore producit.

240 Reſpondeo rurſus falſum omninò eſſe, quod actio tranſiens Dei ſit ratio formalis, aut fundamentalis proxima præſentiæ Dei in rebus, dictum eſt num. 186. eſt quidem ad eam neceſſaria cauſaliter, nimirum ut conditio faciens terminum talis præſentiæ actu exiſtentem, non tamen ratio formaliter completiva præſentiæ, qua Deus virtuali quodam contactu res ipſas contingit, quod ultrà ſubtilem pluribus in locis ſignificavit quoque Seraphicus noſter Doctor p.d.37. part. 1. art. 3. quæſt. 2. ubi in fine docet *modum exiſtendi præſentialiter non reſpondere operationi, nam præſens eſt aliquis alicubi, etiamſi non operetur*, imò & ipſe Angelicus, quatenus p.1. qu.8. art.3. cum aliis Theologis docet modum eſſendi, quo dicitur Deus eſſe in rebus per eſſentiam, eſſe diſtinctam ab alio modo, quo in eiſdem dicitur eſſe per potentiam, cum ergo operatio ſit ratio eſſendi per potentiam, non poteſt eodem modo eſſe ratio eſſendi per eſſentiam; Tum quia ſi actio Dei eſt aliquid creatum per Thomiſtas ſe tenens ex parte effectus, non minus opus eſt, Deum eſſe præſentem intimè operationi, qua creaturas producit, & conſervat, quàm effectui per eam producto, cæteriſque creaturis, ergò hæc intima præſentia explicanda eſt per aliquid aliud ab operatione diſtinctum. Itaque pro ſolutione argumentorum diſtinguenda eſt immenſitas ab Ubiquitate, vel pręſentia, quam Deus modò habet omnibus rebus creatis intimè coexiſtendo illis in ſpatio eodem compenetratus, quia immenſitas dicit divinam perfectionem, quæ maximè omnium aſſimilatur, & proportionatur propriè, ac formali quantitati corporum, itaut ſicut vi hujus corpora occupare poſſunt tãtum ſpatium, vel tantum, ita vi ſuæ immenſitatis Deus neceſſariò coexiſtere poteſt, & debet rebus omnibus creatis, ac etiam creabilibus, quando ponerentur in eſſe, quæ proindè divina perfectio ſumpta analogia à quantitate molis dicitur magnitudo Dei, & quantitas virtualis divinę ſubſtantię nedùm à Scholaſticis, ſed etiam à Patribus; præſentia verò actualis quam modò Deus habet ad omnes res creatas illis intimè coexiſtendo in eodem ſpato compenetratus ex Scoto p.d.39. lit. B. & Y. ſupra hanc virtualem quantitatem addit reſpectum rationis ad res, & loca actu exiſtentia, quæ non ſolùm efficienter per ſuam actionem, ſed formaliter etiam per ſuammet ſubſtantiã intimè replet; qui reſpectus rationis proportione correſpondet reſpectui præſentiæ realis, & actualis, qui ſuperadditur quantitati corporis, & in ea fundatur, eo ipſo quòd ponitur in loco, vel alteri corpori præſens per contactum mathematicum, quare ſicut in corpore ratio fundamentalis præſentiæ localis eſt quantitas ipſa corporis, ratio verò formalis, cur corpus ſit formaliter actu in loco, eſt ipſemet reſpectus localis præſentiæ; ita in Deo ratio fundamentalis divinæ præſentiæ, & coexiſtentiæ omnibus rebus creatis, & creabilibus, quando ponuntur in eſſe, eſt immenſitas; ratio verò formalis, cur actu fiat pręſens intimè creaturis ſtatim ac ponuntur in eſſe, eſt ipſa Ubiquitas, vel præſentia, quæ à nobis explicatur per reſpectum rationis, & à parte rei dicit terminationem in Deo intimæ coexiſtentiæ, quam fundat creatura quęlibet eo ipſo, quod ponitur in eſſe; & denique ſicut in corporibus, ut in eorum quantitatibus fundetur mutua preſentia, & coexiſtentia locati per contactum mathematicum, pręrequiritur in genere efficientis cauſæ illorum corporum productio, ac plerumque eorum adductio, ſi alterum ab altero diſtet; ita à pari ad fundandam præſentiam ſimultatis inter Deum, & creaturas neceſſaria eſt operatio tranſiens, non in genere cauſæ formalis, & ut ratio formalis eam fundandi, ſed in genere tantùm cauſæ efficientis, nimirùm ut conditio faciens terminum actu exiſtentem, ad quem præſentia ſimultatis terminari debeat, de quo vide D. Bon. d.37. p.1. art.2. q.2.

241 Ex his facilè reſpondetur. Ad 1. negatur minor, determinatur enim Deus ad exiſtendum in creaturis præſentialiter per ſuam actionem tranſeuntem cauſaliter, & in genere efficientis cauſæ modo explicato, non autem formaliter, ſeu in genere formalis cauſæ, hoc enim modo determinatur per ipſam actualem præſentiam, ſeù coexiſtentiam intimam, aut talis coexiſtentiæ terminationem, quæ ſibi in tempore advenit eo ipſo quòd creatura emergit in eſſe; & per immenſitatem, tanquam per rationem proximam fundandi, vel terminandi talem relationem, per quod patet ad probationem minoris. Ad 2. concedo antecedens de contactu virtuali in genere efficientis cauſæ, nego de contactu virtuali quantitativo in genere formalis cauſæ, formaliter enim per intimam ſuæ ſubſtantiæ præſentiam omnia replet, & ideò negatur conſequentia. Ad 3. negatur omninò aſſumptum, ſicut enim omnipotentia, & immenſitas ſunt attributa ſecundum ſuas rationes formales diſtincta, ita quoque in ſuis muneribus; quare ſicut per omnipotentiam formaliter habet Deus, quod creaturas faciat, vel facere poſſit, ita per eam facit creaturas à ſe formaliter dependentes in eſſe, & terminat dependentiam earum; & ſicut per immenſitatem non habet formaliter, quod faciat creaturas, ſed ſolùm, ut præſens ſit, & coexiſtat creaturis jam factis, ità quoque per eam habet formaliter, quod in eis intimè præſens exiſtere queat, & per præſentiam ſuperadditam in tempore, quę ſolum rationis reſpectum præſefert, aut terminationem intimæ ſimultatis creaturæ cum Deo, quod actu formaliter exiſtat in eis præſentialiter. Ad 4. negatur ſubillata minor, etenim Dei immenſitas determinatur ad exiſtendum præſentialiter potius in rebus modò creatis, quam in aliis poſſibilibus, formaliter per pręſentiam in tempore ſuperadditam, vel terminationem talis pręſentię in creatura fundatę; per actionem verò tranſeuntem ſolum cauſaliter, & in genere efficientis cauſę; Ad ultimum dico immenſitatem ita pręſtare Deo effectum ſuum formalem; ſicut omnipotentia, undè ſicut Deus ab ęterno dicitur omnipotens, quia habet talem vim, ut facere poſſit omnia, quę contradictionem non implicant, licèt actu illa non producat, ita ab ęterno dicitur immenſus, eo quia vim habet coexiſtendi intimè, ac pręſentialiter cuicunque rei poſſibili quando actu producatur in eſſe; & ſicut dicitur omnipotens in actu ſecundo eo ipſo, quod in tempore producit creaturas in eſſe, per ſolam terminationem dependentię creaturę jam exiſtentis, ita dicitur immenſus in actu ſecundo, ſeu actu præſens rebus omnibus jam productis per terminationem relationis creaturæ, quatenus ſibi intimè coexiſtentis, quæ quidem actualis præſentiæ relatio, vel relationis terminatio ſibi in tempore advenit per coexiſtentiam creaturæ, ſicut terminatio dependentiæ creaturæ, quatenus exiſtentis; & tandem ſicut per iſtam terminationem denominatur in tempore actu, & formaliter omnipotens, ita per illam denominatur actu, & formaliter immenſus, & rebus omnibus intimè præſentialiter inexiſtens; quarè actio tranſiens non denominat Deum actu præſentem, & intimè præſentialiter inexiſtentem rebus creatis, ſed actu creatorem, ac omnipotentem, & irrationabiliter omninò actus ſecundus omnipotentiæ aſſignatur pro actu ſecundo immenſitatis; quod latè proſequitur Averſa contrà Thomiſtas q.8. ſec.5.

Sed adhuc urgebis, quamvis ſola duorum extremorum indiſtantia ſufficiens ſit, ut alterum dicatur eſſe cum altero, & alteri ſimpliciter præſens, non tamen eſt ſatis, ut alterum dicatur eſſe in altero, & intimè præſens alteri per ſuam ſubſtantiam penetrando, pervadendo, & permeando alterum, quo modo Patres communiter loquuntur de exiſtentia Dei in omnibus rebus; ergo ad explicandam intimam Dei præſentiam in rebus, præter immenſitatem, & indiſtantiam

tiam addi debet aliquid aliud, quod non videtur eſſe poſſe, niſi operatio Dei ad extrà, qua immediatè efficit, & conſervat quidquid in creatura ſimplicitèr eſt; probatur aſſumptum; quamvis enim duo angeli ſint in eodem ſpatio per omnimodam indiſtantiam, non ob id dicimus alterum eſſe in altero, & alteri intimè præſentem, & hoc non niſi defectu talis influxus; ſic etiam corpus, & anima, locus, & locatum habent mutuam præſentiam, & indiſtantiam, nec tamen corpus dicitur eſſe in anima, nec locus in locato.

242 Reſpondeo imò difficiliùs in ſententia D. Tho. explicari modum eſſendi Dei in rebus per eſſentiam, quàm in noſtra, cùm enim illum declaret per omnipotentiam, & operationem tranſeuntem, planè negare videtur, Deum eſſe in rebus ipſis per ſuam eſſentiam, & ſubſtantiam immediatè, & verè, & tantumodo concedere Deum eſſe in omnibus rebus, quia cauſat, efficit, & conſervat omnes res, quod eſt eſſe in rebus per operationem, non per eſſentiam, & ſubſtantiam, ſicut Rex eſt in toto regno per potentiam, quia omnia ejus virtute fiunt, licèt ſubſtantia Regis non ſit præſens toti regno; melius ergo nos ſalva mus Dei exiſtentiam in omnibus per eſſentiam, per intimam indiſtantiam ſecundùm ſubſtantiam ab omnibus creaturis, quàm ſalvent Thomiſtæ eam declarando per operationem; Verum tamen eſt ad hanc intimam divinæ ſubſtantiæ præſentiam in omnibus creaturis, quam Theologi vocant per illapſum, aliquid ulterius eſſe addendum, ratione cujus ita dicatur Deus intimè præſens creaturis, ut dici poſſit, & debeat eſſe intimè in creatura, non autem è contrà creatura in Deo, quamvis illa intima præſentia, & coexiſtentia ſit mutua hinc inde; hoc autem non eſt operatio, ut concedit Averſa loc. cit. ſed eſt, quia non ſolùm adeſt Deus rebus, ut cauſa efficiens, ſed etiam ut cauſa exemplaris formans, & figurans ſingulas rerum eſſentias, undè docent Theologi, & Patres in omnibus creaturis extare veſtigium Dei, & in rationalibus imaginem; ſicut enim ſigillum non ſolùm efficienter ſui figuram imprimit, ſed etiam illam efformat, & effingit in genere exemplaris cauſæ; ita Deus non ſolùm rerum eſſentias efficit, ſed etiam illas efformat, & effingit in genere exemplaris cauſæ illis ſe communicando participativè ſecundùm varias perfectiones non quidèm formalitèr, ſed exemplaritèr, ut benè notavit Amicus diſp. 8. cit. ſec. 4. Itaque ut veniamus ad punctum difficultatis dico, ut unum dicatur eſſe intimè in alio, non ſufficit intima utriuſque præſentia in eodem ſpatio, ut benè probat inſtantia de duobus Angelis in eodem ſpatio compenetratis, ſed requiritur etiam ut habeat aliquo modo rationem formæ participatæ reſpectu rei, à qua eſt ſecundùm ſubſtantiam, ac entitatem indiſtans; hac enim ratione dicitur eſſe in corpore, & intimè corpori præſens, & accidentia ſpiritualia dicuntur intimè ſubjectis præſentia illa informando, etiamſi nihil operentur in eis, ut actus vitales in ſubſtantiis ſpiritualibus; ſic perfectiones eſſentiales, & formales ſunt intimè præſentes rebus, quarum ſunt perfectiones, quia eas eſſentialitèr formant; hoc igitur modo Deus dicitur per illapſum eſſe rebus omnibus intimè præſens, non tantùm, quia illis intimè coexiſtit in eodem ſpatio per exhibitionem propriæ ſubſtantiæ, ſed etiam quia immediata, & perfectiſſima forma exmplaris modo explicato participata ab omnibus creaturis, eiſque impreſſa per modum imaginis, vel veſtigii, & hac de cauſa Deus per illapſum dicitur eſſe intimè in rebus creatis, & non è contra, ut optimè notavit etiam Faſolus loc. ci. dub. 6. in fine.

Quintò arguit Suarez diſ. 30. cit. ſect. 7. num. 21. ex actione ſaltem creativa Dei præſentiam ejus intimam in rebus creatis neceſſariò colligi; quia Deus ſolus poteſt creare immediatè per ſeipſum, tàm immediatione ſuppoſiti, quàm immediatione virtutis, nulla enim virtute à ſe creata utitur, ut medio agente ad aliud creandum, neceſſe eſt ergò ut ratione ſolius creationis Deus immediatè ſi per ſubſtantiam, & virtutem ſuam in omnibus rebus creatis. Si dicas non omnia eſſe per propriam creationem producta, ſed multa eſſe facta ex præjacente materia. Reſpondet, licèt hoc verum ſit, eſt tamen in omnibus aliquid, quod à ſolo Deo creatum eſt, ſaltèm materia prima, ratione cujus neceſſe eſt creatorem ejus eſſe in re, quæ tali materia conſtat; atque hinc etiam fit, ut hac ratione non ſolùm pròbetur Deum eſſe propè res conditas quaſi ſuperficietenus eas attingentem, ſed etiam intimè eſſe in omnibus illis quaſi penetrantem illas, quia in omnibus, & maximè intimis illorum partibus eſt aliquid a ſolo Deo creatum; nam in rebus immaterialibus ſolùm eſt indiviſibilis ſubſtantia, quæ tota à Deo creata eſt, in materialibus verò eſt materia; & quia forma intimè, & ſecundùm ſe totam illam penetrat, ideò agens, quod creat materiam neceſſariò eſſe debet intimè præſens toti rei creatæ,

243 Reſpondeo imò ex actione Dei creativa potiùs oppoſitum deduci ut notavit Baſſol. p. d. 27. nam in agentibus naturalibus poteſt intelligi hæc neceſſaria conditio præſentiæ ut antecedens actionem, eò quod ſemper ſupponant ſubjectum, in quod agant, cujus propinquitas, & applicatio neceſſariò eſt ſupponenda; hoc autem Deo neceſſarium non eſt quoad actionem creativam; quia ex parte effectus nihil ſupponitur, cui Deus applicatus ſupponi debeat, ac approximatus ad agendum in illud. Nec valet, quod ait Suarez huic objectioni occurrens num. 18. quòd neceſſitas iſta non provenit ex peculiari ratione moventis, & mobilis, imò nec ex generali ratione agentis, & paſſi, quod actioni ſupponitur, ſed ex dependentia effectus, & cauſæ, hæc enim eſt, quæ requirit, ut agens immediatè conjungatur effectui. Non valet, inquam, ſatis enim hæc evaſio præcluſa manet ex dictis num. 187. & ſeq. ſed jam ad argumentum reſpondeo, ſi benè res expendatur, non eſſe majorem difficultatem de creatione, quàm de aliis actionibus, nam quòd ea à ſolo Deo proveniat, non neceſſariò infert, quòd nequeat eſſe in remotum, & quòd Deus ſit neceſſariò in effectu producto; primum probo, quia interdum ab agente diſtanti poteſt actio provenire, & licèt in medio prærequiratur aliquid eſſe productum, tamen ab eo non prodit illa actio, ſed ab agente diſtāti; ſic etiam in propoſito poſſet Deus creans operari in diſtans producendo aliquid in medio ad eam creationem pærequiſitum, non tamen immediatè influens in rem creatam, ut conſtat in creatione animæ rationalis ad exigentiam diſpoſitionum, alterum verò, ſcilicèt indè non ſequatur intima Dei præſentia in effectu producto, ſatis comprobatum manet ex inſtantia, quam ſibi facit Suarez in argumento ſuo, nec ſufficienter ſoluit; quamvis enim rectè dicat ratione materiæ à Deo immediatè creatæ eſſe debere Creatorem in omnibus compoſitis intimè præſentem, attamen non oſtendit ſufficienter ea ratione penetrationem Dei cum materia creata, & ſingulis ejus partibus, nam ſtatim ego dicam ad creationem materiæ ſatis fuiſſe Deum juxtà illam extitiſſe, & ſuperficietenùs eam attigiſſe quoad præſentiam entitatem.

Sed dices, actio creativa ſupponit in creante actum purum, ſed actus purus neceſſariò eſt præſens rebus omnibus; ergo ex actione creativa ſufficienter, & efficaciter colligitur intima præſentia Dei in rebus omnibus creatis; major probatur, nam creatio eſt actio independens à ſubjecto ſaltem inhæſionis, cùm fiat ex nullo præſuppoſito ſubjecto, ergo ſupponit, creans eſſe actum purum, quia nullum agens poteſt habere actionem independentiorem à ſubjecto, quàm ſit ipſum, & ſua virtus agendi; probatur minor nam de ratione actus puri eſt omnem omninò potentialitatem excludere; atqui aliqua potētialitas eſt poſſe eſſe pręſentem, ubi non eſt, poteſt tamen eſſe; ergo ſi Deus non eſſet pręſens rebus omnibus, in quibus tamen eſſe poſſit, non omnem omninò potentialitatem excluderet. Reſpondeo in primis poſſe negari majorem quandoquidem Doctor 4. d. 1. q. 1. *§. quarta ratio*, doceat ex potentialitate agentis creati non efficaciter deduci, quòd creare nequeat; ſed conceſſa etiam majori, & minori diſtinguo conſequens, ex actione creativa efficaciter colligitur intima Dei præſentia in rebus, mediatè, concedo, immediatè nego, nam ex actione creativa immediatè tantùm colligitur puritas actus in creante, & mediatè poſteà ex perfectione actus puri rectè infertur excluſio omnis potentialitatis, & ſic tandem intima Dei pręſentia in omnibus creatis rebus.

244 Sextò arguit Lezana loc. cit. perfectiſſimum agens debet eſſe præſens paſſo, aut ſpatio circa quod operatur perfectiſſimo modo, ſed Deus eſt agens perfectiſſimum, ergo debet eſſe ibi præſens perfectiſſimo modo; ſed perfectiſſimus modus pręſentię eſt per ſuam ſubſtantiam, ergo &c. & per conſequens ex operatione Dei per conſequentiam formalem infertur ejus præſentia. Conf. quia cauſa perfectiſſimo modo operans perfectiſſimo etiam modo communicatur effectui ſuo, ergo perfectiſſimo quoque modo ei conjungitur, & approximatur; talis cauſa eſt Deus; ergo ex ejus operatione in rebus benè infertur ejus præſentia in illis ſecundùm ſubſtantiam. Denique agens ſimpliciter infinitum neceſſariò debet eſſe in omnibus locis, nam ex infinitate Dei benè deducitur immenſitas; ſed Deus eſt agens infinitum; ergo eſſe debet in omnibus rebus, ergo ex operatione Dei, ut agentis infiniti rectè infertur præſentia ipſius intima in rebus ſecundum ſubſtantiam.

Reſpondeo in argumento committi manifeſtam principii petitionem, dum aſſumitur in majori ſine ulla probatione id de quo eſt quæſtio, quòd ſcilicèt agens debeat eſſe præſens paſſo, vel ſpatio, ubi operatur, atque ideò agens perfectiſſimum debeat eſſe præſens perfectiſſimo modo, hanc enim in-

diſtantiæ

diſtantiæ conditionem dicimus neceſſariò non requiri, neque ex ratione intrinſeca agentis ut ſic, neque ex ratione agentis ut perfectiſſimi, ſicut conſtat ex dictis n. 189. 190. & ſeq. Ad Conf. poſſet in primis negari aſſumptum, alioquin ſequeretur, Deum ęquè perfectè ſe ſingulis communicari creaturis, quod tamen falſum eſſe conſtat; deindè quando concedatur aſſumptum, negari adhuc debet conſequentia, quia talis perfecta communicatio fieri quoque poſſet ſine intima conjunctione, & approximatione ad effectū pręſertim ab agēte infinito. Ad ultimū totum conceditur argumentum, ſed ita arguendo jam non amplius ex operatione, ut erat D. Thomæ intentio, ſed ex infinitate demonſtratur ubiquitas Dei, quod non negamus.

Septimò arguunt alii, ex unione hypoſtatica Verbi ad naturam humanam, hæc enim eſt ratio pręſentię localis ſecundum eſſentiam Dei ad illam humanitatem; ergo operatio Dei in re eſt ratio pręſentię eſſentię Dei in rebus; probatur conſequentia, quia unio hypoſtatica eſt quędam operatio Dei in natura humana. Reſpondeo non eſſe parem rationem de unione agentis ad paſſum, & de unione naturæ humanæ ad divinum ſuppoſitum, tum quia ab omnibus Theologis modus eſſendi Dei per unionem hypoſtaticam in natura aſſumpta ponitur modus ſpecialiſſimus omninò diverſus à modo eſſendi in rebus per eſſentiam; qui ponitur generaliſſimus, quatenus hoc modo Deus dicitur intimè eſſe in omnibus rebus; tum quia unio hypoſtatica eſt unio ſubſtantialis, ſive unio ſubſtantiarum; unio autem agentis ad paſſum eſt unio quædam proportionis; itaut agens ad paſſum ſit in tali proportionata diſtantia, & poſſit actio fieri; vel eſt unio virtutis, qua mediante virtus agentis jungi poteſt, & terminari ad paſſum, & hæc abſque unione ſubſtantiarum agentis, & paſſi poteſt haberi; tum tandem, quia licèt unitio, qua verbum fuit naturæ humanæ unitum, dici poſſit operatio, ipſa tamen unio hypoſtatica in ſe formaliter conſiderata non eſt operatio, ſed relatio in noſtra ſententia, aut quidam modus ſubſtantialis.

Poſtremò varias inducunt experientias agentium naturalium, quibus conſtat dari non poſſe actionem in rem, vel locum diſtantem, quin prius detur aliqua actio in medium, ex quo deducunt conſequentiam etiam ad agens increatum putantes hanc neceſſitatem provenire ex vi actionis, ut ſic. Reſp. jam ſatis demonſtratum eſſe hanc neceſſitatem non provenire ex vi actionis, vel agentis, ut ſic, ſed ex peculiari conditione agentium particularium, unde & nos quoq; è diverſo alias adjecimus experientias oſtendentes, agens aliquando agere in remotum nihil omninò producendo in medium, vel ſaltem non producendo id, quod producit in remotum; Tùm quia neq; nos aſſerimus quodlibet agens poſſe agere in diſtans, ſed aliquod, nec iſtud ſecundùm omnes potentias, ſed aliquas, & præſertim gratis concedimus agēs creatum prius agere in medium, quàm in diſtans, quando medium eſt ejuſdem rationis cum extremo, & receptivum ejuſdem qualitatis ab eo producibilis; ex hoc tamen nō licèt inferre conſequentiam univerſalem de omnibus agentibus creatis, quòd nequeant agere in diſtans immediatè, quoniam cęleſtia ſaltem corpora, quę ſunt majoris virtutis, quā ſublunaria ſic agunt in productione quorundam effectuum; undè tantò minus trahi poteſt conſequentia ad agens increatum, quod eſt infinitę virtutis, de quo vide diſp. 7. Phyſ. q. 4. art. 3. ubi de his experientiis latè diſſeruimus.

QUÆSTIO SEXTA.

De Dei æternitate.

Quid ſit Æternitas, & an creaturæ communicari poſſit.

ARTICULUS PRIMUS.

Prima pars Quæſtionis diſcutitur.

246 OCcaſione diſputationis de duratione rerum in communi in phyſica egimus quoq; de æternitate; quæ eſt prima, & præcipua durationis ſpecies, utpotè quæ eſt vera, & propria divinæ exiſtentiæ duratio, ut habetur pſalm. 101. *tu autem Domine in æternum permanes*, omnis autem permanentia in eſſe habet rationem durationis, ut conſtat ex ipſo durationis nomine: & quia in ea diſp. 13. Phyſ. q. 1. ſtatuimus durationem in communi ad creatam, & increatam ex ſuo primario, & formali ſignificato exiſtentiæ rei durantis nihil poſitivum ſuperaddere, ſed tantùm ex modo ſignificandi principalis ſignificati connotare coexiſtentiam rei durantis actualem; vel ſaltem aptitudinalem ad extrinſecam durationem ſucceſſivam veram, vel imaginariam; ideò conſequentèr loquendo ibidem q. 1. aſſerimus, æternitatem formaliter loquendo non dicere formalitatem aliquam poſitivam in Deo ab exiſtentia divina formaliter diſtinctam, ſed ſolùm ipſam divinam exiſtentiam connotando reſpectum aptitudinalem neceſſarium ab intrinſeco coexiſtendi cuicunque temporis differentiæ tàm actualis, quàm poſſibilis; concipiendo namq; divinam exiſtentiam cum tali reſpectu coexiſtendi, id, quod requiritur ad exprimendum perfectum æternitatis conceptum tàm pro formali, & quidditativè tàm pro connotato, & quietativè, & habetur totum id, quod ſignificat Boetius 5. de conſol. phil. proſa 9. per illam definitionem ab omnibus plauſibiliter acceptatam æternitas eſt *interminabilis vitæ tota ſimul, & perfecta poſſeſſio*; nam per *vitam* intelligitur actualis exiſtentia divina, & per alias particulas circumſcribentes differentiam æternitatis conſtitutivam, & à cæteris durationibus diviſivam inſinuatur reſpectus ille coexiſtendi neceſſariò, ſive aptitudo ad neceſſariò coexiſtendum infinito tempori poſſibili invariabilitèr, & ſine ſucceſſione; per hoc enim quod dicitur *vitæ interminabilis* intelligitur exiſtentia de ſe exigens coexiſtere, cuicunq; durationi ſine principio, & fine: & per hoc quòd dicitur *perfecta* intelligitur, quòd in exiſtendo, & in coexiſtendo non dependet ab alio, ſed à ſeipſo ſimpliciter, & neceſſario exiſtit, & coexiſtit, nam ſi non à ſe, ſed ab alio, jam non ſimpliciter, & neceſſariò exiſteret, & coexiſteret, licèt ſemper exiſteret, ſed contingenter, & dependenter, qualis ſempiternitas conveniret etiam creaturæ ab æterno productæ; ſi talis creatura eſt poſſibilis, ut cum Scoto docuimus diſp. 19. Phyſ. q. 1. & hoc totum de æternitate dictum habetur ex Doctore quol. 6.

246 Quamvis autem ibidem *§. contra iſtud* hanc definitionem per negationem triplicem expreſſerit, nempè per negationem terminationis, ſucceſſionis, & dependentiæ, per hoc enim, quod dicitur *interminabilis* ſignificatur prima negatio; per id, quod dicitur *tota ſimul* ſignificatur ſecunda, per id tandem, quod dicitur *perfecta poſſeſſio* innuitur tertia; attamen eam quoq; poſitivè declarat per relationem potentialem, vel aptitudinalem, quatenus talis vita perfecta aptitudinem habet, & exiſtentiam coexiſtendi tempori infinito poſſibili, ut notat Lichetus ibidem; unde cum Doctor eam declarat per illas negationes, potiùs indicavit modum, quo ſolet à nobis concipi, & explicari divina æternitas, quàm quod à parte rei has tantum negationes importet pro formali; nam non habere principium dicit à parte rei ſemper extitiſſe, quod eſt quid poſitivum, ſicut non habere finem dicit ſemper fore; item *tota ſimul* licèt explicetur per negationem ſucceſſionis, tamen à parte rei dicit indiviſibilem permanentiam: & tandem ly *perfecta poſſeſſio* licèt per negationem explicetur dependentiæ, tamen à parte rei importat permanentiam poſitivè independentem, & imparticipatam: Pariter cùm dixit relationem illam aptitudinalem eo coexiſtenti neceſſariò tempori infinito poſſibili eſſe relationem rationis, non accipit relationem rationis in rigore, quia antè omnem noſtri intellectus conſiderationem Deus eſt aptus coexiſtere infinito tempori poſſibili, & tempus poſſibile licèt non ſit ens reale verbaliter, eſt tamen ens reale nominaliter, unde relationem realem tranſcendentalem terminare poteſt: quare cùm eam appellat relationem rationis, ſic explicari debet, quatenus non eſt perfecte realis cum illis tribus conditionibus, quas ipſemet Doctor, & in illo eodem quol. LL. exigit ad relationem realem, quòd ſcilicèt habeat extrema realia, realiter diſtincta, & quòd exurgat ex natura extremorum, & non per opus intellectus, iuxtà quem dicendi modum perfectio per æternitatem in Deo importata erit ibi ex natura rei nedùm quoad principale ſignificatum, quod nos ponimus eſſe exiſtentiam, ſed etiam quoad connotatum illum reſpectum coexiſtendi neceſſariò omni tempori poſſibili, undè iuxtà noſtrum dicendi modum optimè ſalvatur æternitatem dicere perfectionem in Deo ex natura rei repertam omninò independenter ab intellectu noſtro quantum ad omne id, quod in ſuo involvit conceptu, ſivè pro formali, ſivè pro cōnotato.

Quando autem dicimus, Deum ex vi illius perfectionis, quæ dicitur æternitas, habere exigentiam, & aptitudinem, ut poſſit coexiſtere infinito tēpori poſſibili, ſicut ex vi illius perfectionis, quæ dicitur immenſitas, habet aptitudinem, ut poſſit, ac debeat neceſſariò coexiſtere cuicunque loco poſſibili, hoc non eſt intelligendum; quaſi poſſit divina natura fundare relationes aliquas tranſcendentales ad creaturas, hoc enim repugnat ſuæ ſummæ neceſſitati, ac independen-

tiæ